DE
JOHANNE ARNDTIO
EJUSQUE LIBRIS QUI INSCRIBUNTUR:
DE VERO CHRISTIANISMO.

SCRIPSIT

HENRICUS LUDOLFUS PERTZ
HANNOVERANUS.

„Veritas vincit; premitur, non opprimitur."

Commentatio in certamine litterario civium Academiae Georgiae Augustae ex sententia summe Venerandi Theologorum Ordinis die IV. mensis Junii anni MDCCCLII praemio Regio ornata.

HANNOVERAE
APUD CAROLUM RUEMPLER.
MDCCCLII.

GEORGIO HENRICO PERTZ

AVUNCULO CARISSIMO

ET

FRIDERICO EHRENFEUCHTER

PRAECEPTORI DILECTISSIMO

SACRUM.

C Arndt.
Pertz

PRAEFATIO.

Summe Venerandus Theologorum Ordo postulavit, ut inquireretur diligenter in eam controversiam, quae in ecclesia Lutherana de scriptis Arndtianis, imprimis de libro, qui inscribatur de vero Christianismo, orta sit, ac dijudicaretur, quid momenti habuisset theologia Arndtiana ad pietatem et ecclesiam.

Judicium autem, quod de commentatione, a nobis oblata, tulit, est hoc:

Die theologische Facultät hat auf ihre für diesesmal gestellte wissenschaftliche Frage zwei Bearbeitungen erhalten, von welchen die eine, mit Nr. I bezeichnet, das Motto trägt: „veritas vincit; premitur, non opprimitur," die andere mit der Bezeichnung Nr. II zum Wahlspruch hat: „Arndt wird doch „Arndt bleiben."

Die Facultät freut sich, beiden Arbeiten das Lob eines überaus gründlichen, eingehenden, umsichtigen und erfolgreichen Fleisses ertheilen zu können. Beide Abhandlungen verfolgen im Wesentlichen denselben Plan, wie sie denn auch in ihren Resultaten im Ganzen zusammenstimmen. Erscheint nun Nr. II in der Verarbeitung des geschichtlichen Stoffes ausführlicher, in der Darstellung mehr historischen Character ausdrückend, in der lateinischen Diction reiner, als Nr. I: so ist diese letztere gleichmässiger gearbeitet, berücksichtigt mehr die in vorliegende Frage einschlagende ältere und neuere Literatur und hat von Einseitigkeit des Urtheils, sowie von Uebereilung, die an manchen Orten von Nr. II sichtbar wird, sich frei gehalten. Wie die Vorzüge, so sind auch die wesentlichen Mängel beider Abhandlungen gemeinsam. Beide legen nicht selten zu viel Gewicht auf Nebenpunkte, beide vermeiden nicht genugsam Wie-

derholungen; als der hervorstechendste Mangel muss indessen bezeichnet werden, dass beide zu wenig die innere Composition der Arndt'schen Hauptschrift und deren Stellung in der mystischen und ascetischen Literatur nachweisen.

Indem jedoch der eigentlichen Forderung der Facultät, eine erneute gründliche historische *Untersuchung des Arndt'schen Streites zu liefern, durch beide Arbeiten in löblichstem Fleisse und mit im Ganzen richtigen Resultaten genügt worden ist: sah sich die Facultät in der Lage, beide Abhandlungen für preiswürdig zu erklären . . . Es hat demnach die Facultät beschlossen, jeder der beiden Abhandlungen den Königlichen Preis zu ertheilen mit der Bedingung, dass vor Uebergabe derselben an den Druck die erwähnten Mängel so viel als möglich beseitigt werden.*

Denuo intenta cura, priusquam commentationem edidimus, in res singulas inquisivimus, atque nova nonnulla addidimus, quum complures libros, ad quos antea aditus nobis non patuit, nacti essemus.

Eis, quae in ipsa commentatione accuratius exposuimus, vix aliquid addendum esse putavimus; pauca tamen afferamus liceat, quibus ordinem, quem in universa quaestione tractanda secuti sumus, defendamus.

Quaestio enim nobis proposita in duas apte partes dividenda esse videtur. Neque enim solum controversiae, quae de libris Arndtianis exortae sunt, accuratius sunt describendae, verum etiam exponendum est, quid momenti habuerit theologia Arndtiana ad pietatem et ecclesiam. Quam quidem materiam ut apte satisque tractaremus, prima paragrapho, qua lectorem quasi in totam rem introduceremus, nonnulla praefati sumus, quibus status ecclesiae ejus aetatis, in qua vixit Arndtius, lucide cognosceretur. Quo autem controversiae, quae ex libris Arndtianis natae sunt, melius perspicerentur, ut Arndtii sententiae ipsae satis patefierent atque intelligeretur, qua tandem ratione tantam auctoritatem sibi parare potuissent, necessarium nobis videbatur, non tam res externas, vitam Arndtii prosequentes, breviter attingere, quam ipsas sententias Arndtii componere ex libris, qui inscribuntur de vero Christianismo.

Ita clarum est, qua ratione singula disponenda fuerint.

Magnopere dolemus, quod multa scripta ipsi inspicere non potuimus; ex locis tantum apud alios scriptores laudatis cognovimus; aliorum librorum cognitione omnino caremus; veluti: Gottfr. Arnold: Leben der Gläubigen,

Halle 1701, 4.; in quo libro vita Arndtii descripta esse dicitur (cf. Altes und Neues aus dem Schatze theol. Wissenschaften, Wittenbg. 1701. 8. p. 409); porro, Geo. Rost, amica ac fraterna admonitio super controversiis de v. Chr. Rostock. 1628; Jo. Treu, praxis biblica Arndtiana 1648; Jo. Fr. Gauhe, historia Arndtiana; Hoburg, praxis Arndtiana.

Quod attinet ad ipsos locos ex libro de v. Chr. laudatos, quos latino sermone lectoribus proposuimus, versione Boemiana usi sumus: Joan. Arndtii theologi de v. Chr. libri quattuor cura Boemi, Lond. 1708, 2 tom. 8. Uti licuit editione principi trium commentationum, quae inscribuntur: de unione credentium cum Christo Jesu, de sacrosancta trinitate, de sancto spiritu; attamen numeri, quos descripsimus, designant editionem vernacula lingua expressam, in qua quidem Varenii et Dorschei adnotationes, nostrae aetati non necessariae, omissae sunt: Joh. Arnd's sechs Bücher vom wahren Christenthume und dessen Paradiesgärtlein, herausgegeben von Krummacher. Lpz. 1850. 8. 2. Aufl.; prae multis aliis editionibus optima excellit praefatione. Locos ex reliquis Arndtii libris aut ex apologeticis Arndtianis desumptos invenies in magna editione omnium Arndtii librorum: Joan. Arndts geistreiche Schriften und Werke mit einer historischen Vorrede herausgegeben von Rambach, 3 Thle. Fol. Leipzig u. Görlitz 1734—1736.

Dum haec scribimus, librum a M. Goebelio conceptum legimus „Gesch. „des christl. Lebens in der rhein.-westphäl. evangel. Kirche", ubi II, 2, p. 464—509 et aliis locis accuratius de Joh. Arndtio disseritur. Quamquam multis in rebus scriptori plane assentimur, nonnullas tamen sententias impugnare debemus, de quibus nos alio loco fusius disputaturos esse speramus.

Ad commentationem magno cum amore accessit scriptor, eamque perfecit eodem cum amore; labores minime fugit, quibus ad finem propositum appropinquaret; lectores orat, ut in hoc scripto dijudicando, quia studiorum proponit primitias, frontes remittant.

Scribebam Gottingae die XII. mensis Julii MDCCCLII.

H. L. Pertz.

CONSPECTUS.

CAPUT PRIMUM.

DE ARNDTII VITA ET SCRIPTIS.

§. 1. De statu ecclesiae Lutheranae ejus aetatis, in qua Arndtius vixit.

Quum imaginem quodammodo expressam status ecclesiae Lutheranae habere volumus imprimis ejus aetatis, in qua Arndtius magnum sibi comparavit momentum, non solum ad theologiam, qualem apud viros doctos invenimus, nobis erit animadvertendum, verum etiam vitam considerare debemus ecclesiasticam illius temporis, quod in quaestione, quam nobis proposuimus, tractanda gravissimo est pondere. Imago quidem, quae ob oculos nostros ponitur, animum omnino non delectat; qua tamen re impediri non debemus, quominus propius accedamus ad caussas, ex quibus ille ecclesiae Lutheranae status prodiit.

Reformatio ecclesiae ex triplici fonte profecta est. Prae omnibus reformatores singulis fidelibus salutem certam firmamque comparare studuerunt [1]; deinde permagna vitia deformitatesque abroganda erant; postremo ad novum gradum in christiana religione explicanda ascendit protestantismus [2]. At si quaeris, qua ratione protestantismus progressus sit, nihil omnino aliud erat hic novus status, nisi ut ad Dei verbum omnibus ab eo alienis et humanis cogitationibus exclusis regrederetur, dum ea elementa, quae ex verbo Dei profecta sunt, in suum doctrinae corpus sucepit. Cujus novae vel potius veteris purgatae doctrinae [3]) cognitio simulatque divulgata est, socios et amicos sibi conjunxit; sed etiam statim de singulis rebus sententiae diversissimae exortae sunt, quibus tot amicos ac defensores, quot inveniri poterant, consociare studebant homines. De sententiis et opinionibus maxime sibi contrariis disputabatur maximo studio, eoque ecclesia Luthe-

[1]) Heppe, in Theol. Stud. u. Krit. 1850, Hft. 3. p. 670; cf. Thiersch, Vorlesungen über Katholicismus und Protestantismus, 2. Aufl. I. Abth. p. 267. — [2]) Hagenbach, Vorlesungen über Wesen u. Gesch. der Reformation. Bd. III. (Evangel. Protestantismus, Bd. I.) p. 7. — [3]) Walch, Hist. u. theol. Einl. in die Religionsstreitigk. der evang. luth. Kirche, Jena 1733. 8. I. p. 4; Hagenbach, Enzykl. 3. Aufl. p. 255.

rana in statum delapsa est, qui mediae aetatis modo litteras et theologiam tractandi nulla in re dissimilis fuit. — Quantam utilitatem Lutherus ipse rei reformationis attulerit, statim post ejus mortem perspiciebatur. Dum Lutheri auctoritas agendique patientia impedimento fuerat, quominus controversiae et dissidia diversissima enascerentur, statim postquam diem supremum obiit, caussae variae in lucem prolatae sunt, quas Melanchthoni animus non satis sibi constans [4] rejicere non potuit, et ipsum ad illius aetatis studium adductum esse cognovimus; in hoc disceptandi rixandique tempore ecclesiam Lutheranam a crimine, haud raro in adversarios prolato, liberare non possumus, quod defendere et conservare doctrinam sinceram saepius in externam tantum rem degeneravit; imprimis posteriore parte saeculi XVI. At si quaerimus, unde tandem evenerit, ut ecclesia Lutherana in talem statum incurrerit, nobis concedendum erit, prorsus necesse fuisse novam ejus doctrinam varia stadia decurrere; nam sicut confessio catholica non ex uno decennio profecta est, exspectare non possumus, ecclesiam evangelicam in ipso natu doctrinae corpus perfectum et absolutum constituturam fuisse; sicut catholicae ecclesiae dogmata solummodo longo aetatis spatio excoli potuerunt, ita etiam protestantismus. Protestantismus ea quidem vitia evitare debebat, in quae ecclesia catholica incurrerat; nam protestantium controversiae si ad disputandi rationem spectamus, eis non sunt dissimiles, quibus ecclesia catholica saeculo quarto et quinto discissa est, ubi Constantinopoli forum quisquam peragrare non potuit, aut lavatum ire in balneas, quin in controversias religiosas implicaretur, utrum filius genitus esset necne [5].

Summum vitium natum est eo, quod, sicut antea imperatores graeci fecerant, principes controversiis theologorum sese immiscebant easque decernebant, quare partis oppressae socii a muneribus sacris fungendis depulsi et ex patria ipsa expulsi sunt; haud raro in carcerem conjecti aut mortem sunt perpessi. Fructus hujus agendi rationis videmus in Joh. Funkio [6], Peucero, Crellio [7]. Quamquam, priusquam formula concordiae concepta esset, ea ipsa res quaestiones maxime varias concitavit, quod perfectum doctrinae corpus ab ecclesia conservandum non aderat et sibi quisque jus vindicavit sententias suas, quamvis persaepe praejudicio et errore non vacuas, expromendi omnique modo defendendi, tamen, postquam formula concordiae constituta est, multum disceptatum est et disputatum.

4) Melanchthoni mores et naturam saepius false dijudicari constat; cf. Rudelbach u. Guericke, Zeitschr. f. d. luth. Th. u. K. 1851. Hft. 4, p. 656. — 5) Hagenbach, Vorlesungen. III. p 273. — 6) Guericke, Kirchengeschichte. III. p. 428. — 7) Hagenbach, Vorl. III. p. 295; cf. Planck, Gesch. d. protest. Theologie von der Konkordienformel an bis in die Mitte des 18. Jahrh. Gött. 1831. p. 36—45.

Multae ecclesiae Lutheranae partes quum librum symbolicum non acciperent, satis caussae habebant, cur eos, qui libello usi sunt, aggrederentur. Qua de caussa controversiae omnino in duas partes dividi possunt, quae pugnandi vehementia et judicandi acerbitate non erant dissimiles. Quamquam negare omnino non possumus, has contentiones ad confessionem Lutheranam pure et sincere servandam magni fuisse momenti; attamen optandum erat, ut hae controversiae inter doctos tantum remansissent neve populus ad unam alteramve partem se deduci passus esset; nam ita dissidia inter confessores ecclesiae protestantium hominem simplicem non poterant nisi deprimere et deterrere.

Ante formulam concordiae in lucem prolatam contentiones theologorum ad partes diversissimas confessionis pertinuerunt; post libellum editum controversiis syncretisticis occurrimus, quae quodammodo ex hoc fonte exortae sunt. Quibus omnibus contentionibus litibusque, quae ecclesiae magis incommodo quam commodo fuerunt, universa nostra ecclesia in statum vehementer deplorandum delapsa est, quum principia et sententias, ex doctrina christiana depromptas, non ad vitae usum verterentur; qua re confessio ecclesiae ab vita ecclesiastica quodammodo separata est. Dogmata ecclesiae quasi per se sola et sibi solis formabantur, quaprópter is pro eximio viro docto et bono Christiano habebatur, qui adversarios habile apteque redarguere posset. Hac ratione theologia Lutherana, praesertim ad finem saeculi XVI. et initio insequentis, mortuâ orthodoxiâ, quae ad litteram se applicat [8]), oppressa est, in qua a viro docto postulabatur, ut locutionibus si fieri posset argutissimis callidissimisque de adversariis victorias reportaret, et hominis laïci erat, fructus hujus disputandi modi bono animo accipere et reddere.

In hoc statu theologiae ecclesiam ipsam et vitam ecclesiasticam florere non posse, per se clarum est; etiam habitum ecclesiae externum hac re male affici videmus, et ecclesiam Lutheranam in hac aetate gravibus perculsam esse casibus ob oculos nobis ponitur. Persaepe, quod multos commovebat, ut ad Calvinorum confessionem sese converterent, non erat purum ac sincerum, quum non raro motus clandestini adhiberi solerent, quibus primus ad alteram confessionem traduceretur princeps, cujus exemplum populus nonnumquam secutus est. Nimirum litibus illis diuturnis nemo valde delectari potuit atque commoveri, ut amore confessionem suam complecteretur. Jam anno 1559 Friedericus III. elector Palatinatus, ad confessionem Calvinorum transierat [9]); in fine saeculi XVI. Calvinismus etiam

---

[8]) Schenkel, in Theol. Stud. u. Kritiken. 1852. Hft. I. p. 44. — [9]) Guericke, Kirchengesch. III. p. 398.

fines Anhaltinos occupavit. Facile intelligitur hic studia Calvinorum clandestina permultum valuisse, atque Peucer ille, quem soror principis vinculis liberavit, ad hanc rem efficiendam multum auctoritatis nactus esse videtur [10]). Etiam incolae Hasso-Casselani, atque anno 1613 Joh. Sigismundus elector Brandenburgensis ad Calvinismum se verterunt. — Quos casus ecclesiae fuisse gravissimos non repugnabimus; multo majus tamen incommodum esse videtur, quod hic disputandi furor in confessores ecclesiae Lutheranae exercuit. Eas doctrinas, de quibus disputatum est, summas fuisse libenter concedimus, sed saepe tam subtiliter inter illas distinctum est, ut animus simplex eas esse discernendas omnino vix animadverteret; ita de doctrina de justificatione cum Osiandro multum est disputatum, quae controversia summo est tractata studio ac saevitia. Cathedrae ecclesiarum Regiomontanarum conviciis exsecrationibusque contremuerunt. Ita Moerlinus, Osiandri adversarius furibundus, in oratione publice habita dixit: „Osianders Gerechtigkeit ist ein Traum; sie ist weder im Himmel noch auf „Erden. Pfui dich, du schwarzer Teufel, mit deiner Gerechtigkeit, Gott „stürze dich in den Abgrund der Höllen. Hole der Teufel diese Gerech„tigkeit, ich will sie nicht holen [11])." Osiander ut se defenderet, nihil aliud attulit, nisi ut adversarium „einen groben Tölpel" dictitaret: alium dixit non esse „ein Seelenhirte" sed „ein Sauhirte"; qua in re tamen minime secum reputasse videtur, ecclesiae coetum tali oratione non valde mulceri! Moderatius revera antea disputatum est, quamquam lites acres non desiderantur. Dum Major contendit, bona opera ad salutem esse utilia, Amsdorfius eo progressus est, ut diceret esse noxia [12]). Strigelium, qui quidem peccatum originale in hominis corpore inesse statuit, attamen homini facultatem quandam ad bonum exsequendum tribuit, impugnavit acerrimus ille Flacius, qui dixit, totam naturam hominis et substantiam esse peccatum originale [13]); nonnulli vel dixerunt, peccatum originale immanere in hominum corporibus usque ad resurrectionem [14]). Posteriore aetate disceptandi argutiae subtilitatesque auctae sunt; immo anno 1675 quaestio habita est, utrum una gutta sanguinis Christi satisfacere potuerit pro mundo necne [15]).

Arndtius ipse conditionem et habitum aetatis suae describit his verbis: „..Hic mihi scopus in tanta pietatis et timoris divini ruina et jactura, et in tanta scelerum licentia praefixus est, ne veniat dominus et terram

10) cf. de tota re Schubring, Geschichte der Einführung der reformirten Confession in Anhalt; in Zeitschr. für die luther. Theologie. 1848. Hft. 2, 3 u. 4. — 11) Hagenbach. l. l. III. p. 271. — 12) Guericke. III. p. 431. — 13) ibid. p. 437. — 14) Hagenbach. III. p. 270. — 15) Hessische Hebopfer. I. 1736. Stück X. p. 1072.

fulmine excommunicationis celeriter concutiat .. [16]).“ Accuratius „in hoc“ inquit, „plerique hodie errant, sibi persuadentes, theologiam esse meram „notitiam et verbosam quandam scientiam, cum verius sit, esse ipsam „vivam experientiam et exercitium vere practicum [17]).“ Quem rerum statum sane excusaremus, si ex acri ecclesiae catholicae oppositione exortus esset; sed theologos non tam abusu ad verborum captatores esse delapsos [18]) videmus, quam multos disputandi arte valde gloriari. Pulcherrima verba de hac rixandi saevitia attulit Rupertus Meldenius, qui Arndtio aequalis cum ipsoque consuetudine conjunctus fuisse videtur [19]); castigat „φιλονεικίαν et contendendi insatiabile studium, altercandi sine fine pruriens „cacoëthes“ . . . „Video enim leprosum illum rixandi pruritum oriri ple„rumque ex impotenti et inexplebili vani honoris titillatione . . . Hinc „videas theologastros, ut primum eos haec desperata ac foetida scabies, „ingentis sapientiae persuasione tumida, occupavit, rupta omni mora scri„ptitare, controversias agitare [20])“ . . . Deinde legimus: „haec autem eo „commemoro, ut videatis, quantas procellas in ecclesia, quantas turbas, „quanta scandala excitare possint, qui affectuum Euripo agitati ambitioni „propriae potius, quam aedificationi ecclesiae velificantur [21]).“

Quae quum ita sint, mirari non possumus, persaepe etiam rectam fidem perditam esse apud plerosque et ita neglectam, ut vix intelligerent, quae esset vera fides: „ex hac ignorantia verae theologiae etiam illud con„secutum est, ut vix centesimus nostrorum sacerdotum quid sit fides in„telligat [22]).“ Eo majore gaudio animus noster afficitur, si legimus virum doctum libenter concedere, se antea magnae theologorum catervae consocium fuisse, nunc autem ad saniorem pervenisse cognitionem. Quis non indignetur, viros vere pios et bonos illis miseris sententiis et opinionibus captatos fuisse! Cnopius ad Arndtium: „nec sane diffiteor me quoque in „eorum fuisse numero, qui fidei salvificae vim et omnem vel praecipuam „in cognitione sitam esse existimant: itaque pro virili in id incubuisse, ut „disputationes de religione cognitas haberem, religionisque summa fuit, „ex religione rixas et contentiones tenere. Ex quo pernicioso sane et

---

16) Arndtii epist. ad Piscatorem. 14. Jan. 1607. apud Gleich, trifol. Arndt. p. 3; haec epistola etiam legitur apud Rehtmeyer, Braunschw. Kirchenhistorie. supplem. p. 231 sqq. — 17) Arndtii praef. in lib. I. edit. Boemi. I. p. 33. Kr. p. 1a.; cf. I. cap. 11. p. 30a. — 18) Arndtii lib. de v. Chr. cura Boemi. Lond. 1708. 8. I. praef. §. 12. p. 9. — 19) Lücke, Ueber das Alter des kirchl. Friedensspruchs: „in necessariis unitas.“ Gött. 1850. p. 45. — 20) Rup. Meldenius in paraenesi votiva. p. 171. cf. Lücke. p. 104. — 21) ibid. p. 257; cf. Lücke. p. 144. — 22) M. B. F. B. myster. iniq. pseudoev. p. 71. (vide infra §. 6.); cf. Arndt. ad Piscatorem ap. Gleich. l. l. p. 2.

„pestilenti errore me tuis scriptis eripuisti [23]).“ Quum res ita sese haberent, offendere nos non potest, pastorum ipsorum vitam fuisse parum idoneam, quo probaretur eos studuisse, ut secundum simplex evangelium viverent. Quamquam enim ipsi haud meliorem vitam quam sacerdotes catholici degebant, tamen vituperando et objurgando sibi satisfacere vix potuerunt [24]).

Hic rerum status bonos fructus proferre non poterat. Tunc minime invenimus animos in religionem propensos, non audimus homines attente res divinas meditatos, amore pietatis et honestatis incensos esse; ipsis in coetibus ecclesiasticis auditores proterve et impie versari solebant. Quod quidem non tam auditoribus crimini vertemus, quam ipsis pastoribus. Tantum aberat, ut illi animos auditorum verbo divino explicato consolarentur, ut in ipsa cathedra altercationes et controversias diducerent. Immo potius pastoribus imperabatur, ut diligenter res controversas in cathedra ipsa tractarent [25]). Cathedra erat campus polemicarum disputationum, neque contenti erant pastores, ut lingua nostra vernacula uterentur, verum etiam verba orationi immiscebant latina, graeca, hebraica [26]). Per se patet, coetum tales orationes aequo animo non percepisse. Haud raro accidebat, ut singuli ecclesiam minime intrarent ad animos religionis solatio recreandos; quod omnino fieri non potuit, quum legamus in ipsa ecclesia canes non abfuisse [27]). Saepe auditoribus occasio data esse videtur, ut inter sacra in ipsa ecclesia alter alterum ad pugilationem provocaret, quae tamen pugna non usque ad finem sacrorum differebatur, sed statim ex ecclesia egressi in area templum cingenti pugilabantur [28]). Unum exemplum legimus, ubi miles vel in ipsa ecclesia pastorem erat occisurus [29]).

Itaque facile est intellectu, quomodo evenerit, ut populus etiam in reliqua vita animum ad sola bona commodaque externa applicaret. Non immerito Joh. Val. Andreaeus de hoc tempore queritur; „ubi lex recessit „a sacerdotibus, disciplina a scholaribus, justitia a principibus, defensio „a militibus, consilium a senibus, timor a juvenibus .... religio a clericis, „devotio a religiosis, humilitas a nobilibus, fides a populo, charitas a mun„do, amor a parentibus . . . quidni Christus sit alienus ab omnibus [30])?“

Ex eis, quae hucusque explicavimus, elucet, statum ecclesiae in illa

---

23) in apol. Arndt. ap. Ramb. III. p. 1030b. — 24) M. B. F. B. myst. iniq. p. 11; quae verba, quamvis sint gravia, tamen accurate veritatem describere videntur. — 25) Planck l. l. p. 70. — 26) Schröckh, Kirchengesch. seit der Reformation. tom. IV. p. 453; cf. Hossbach, Joh. Val. Andreä u. sein Zeitalter. Berlin 1819, p. 31. — 27) Maur. Rachel, schola Arndtiana. p. 86; vide infra §. 6. — 28) ibid. p. 114. — 29) cf. infra §. 8. — 30) Andreae, Menippus dial. 80. 1673. p. 196; (editio princeps annum 1617 in fronte fert, cf. Hossbach l. l. p. 133.).

aetate, qua Arndtius vixit, minime eum fuisse, qui considerantium animos laetitia afficeret[31]). Omnes in hac rerum conditione sentire debebant, quod quidem meliores fecerunt[32]), quanto spatio homines a vita vere christiana disjuncti essent.

§. 2. De Arndtii vita et libris ab eo editis.

Quum his temporibus jam multi viri docti vitam Arndtii descripserint [1]), et ita quidem, ut claram vitae imaginem nobis proposuerint, nos supersedere nobis videmur, res externas vitam Arndtii prosequentes hic accura-

---

31) Ad statum aetatis Arndtii depingendum ex libro locum describemus, cujus scriptor non minus sollerti animo fuisse, quam ecclesiae coetus, cui ille praeerat, animum rebus mundanis deditum habuisse videtur. Maur. Rachelius in libro laudato p. 86: „Die ungeschliffenen Dorfrülze und Bauerschlüngel geben den vornehmen Personen im Anzuge nichts nach: die Stiefel und Sporen müssen mit zur Kirche gehen, und fehlt nicht viel, man werde auch endlich die Pferde mit sich hineinnehmen, wie es denn an Hunden allbereits nicht mangelt"; deinde p. 101. scriptor magnum luxum vestiarium reprehendit: homines vestiri holoserico et bombycinis, et vel aureis et argenteis armillis exornari, quasi si vaccas et vitulos aureis vinculis ligares; etiam pastores negligentes gravibus castigantur verbis (p. 133.). — 32) de qua re fusius Lücke in Theol. Stud. u. Krit. 1851. Hft. 4. p. 929; cf. Hossbach, Spener und seine Zeit; Berlin 1828. 2 Bde 8. I. p. 83.

1) Argumenta vitae Arndtii hauriuntur ex his libris: Ausführlicher Bericht von Ankunft, Leben . Johann Arndts, Nordhausen 1698; cujus libelli brevem epitomen a Rambachio (tom. III. praef. p. 17.) nobiscum communicatam esse putamus; nihil aliud esse videtur, nisi prolegomena in libros Arndtianos de v. Chr. Nordhusiae anno 1698 ab Joh. Ad. Frohio editos (cf. Fr. Arndt, Johann Arndt, ein biographischer Versuch, Berlin 1838. p. 224.); Apologetica Arndtiana (vide infra §. 6.), qui liber multas epistolas Arndtianas continet. Cf. praeterea Freheri theatrum virorum eruditione clarorum, Norimbergae 1688. fol. tom. I, p. 409a sq.; Henningius Witte, diarium biographicum, Gedani 1688. 4. 11. Mai. 1621; Memoriae theologorum curante Henn. Witten, Frcfrt. 1674. 8. decas. II. p. 172 sqq.; Rehtmeyer, Braunschweigische Kirchenhistorie, Braunschw. 1704. 4. tom. 4; Hessische Hebopfer, Giessen 1739. tom. III. Stück 22; Kettner, Quedlinburg. Kirchen- u. Reformations-Historie 1710; Arndtii vita descripta legitur apud Reitz, Historie der Wiedergebohrnen. 3. Aufl. 1746. II. p. 74—83. etc. — Inter eos, qui his diebus vitam Arndtii descripserunt, imprimis hic nominandus est Fr. Arndt, qui maxima diligentia excellit; in brevius contractus est liber Fr. Bodemanni: Leben Joh. Arndts in: Sonntagsbibliothek. Bd. II. Hft. 6. Bielefeld 1847. 8. Librum ab C. A. Wildenhahn conceptum: Joh. Arndt, ein Zeitbild aus Braunschweigs Kirchen- u. Stadtgeschichte, Leipzig 1847, 2 Thle, inspicere nobis ipsis non licuit; ceterum Guerickius (Kirchengesch. III. p. 482. 7. Aufl.) appellat librum ex fictae narrationis legibus compositum. Bene vitam Arndtii descripsit O. Wehrhan: Lebensgesch. Johann Arndts, Hamburg 1848. Praeterea in recentioribus editionibus librorum de vero Christ. legimus vitam auctoris adumbratam; ita apud Krummacherum, alios.

tius exponere; in eas solas res demonstremus liceat, quae de natura et moribus Arndtii nos faciunt certiores.

Satis constat, Johannem Arndtium — nostra lingua rectius Arndt non Arnd [2]) — initio ad studium medicum se vertisse. Attamen haud ita multo post vitae studiorumque rationem mutavit [3a]). Quum enim periculosum in morbum incidisset, in angustiis animi Deum oravit, ut huic magno periculo evadere sibi obtingeret, piaque vota fecit, se viribus recuperatis totam vitam suam theologiae studio dediturum esse et quasi Deo consecraturum. Deus petenti juveni satisfecit, qui posthac Dei auxilio fisus ad theologiam animum convertit, ita ut maximo studio et labore revera Arndtius fieret „singulare Dei instrumentum benedictionis in ecclesia protestantium [3b])." Miro quodam modo accidit, ut praestantissimi quique homines, quibus ecclesia nostra tot tantosque eventus debet, singulari Dei nutu ad theologiae studium aggrederentur. Ut Lutheri ipsius exemplum, qui miro casu ad diligentissimum bibliorum sacrorum studium evocatum se autumavit, omittam, imprimis nominandi sunt Joh. Gerhardus, Calixtus, Scherzerus. Veluti Gerhardus, qui „locis theologicis" haud mediocrem inter eruditissimos theologos auctoritatem sibi comparavit; quum studium medicinae jam ita tractasset, ut ad usum transferret, demum ad theologiam ductus est [4]).

Quum princeps Anhaltinus ad confessionem Calvinianam sesé convertisset, Arndtius, qui exorcismum abrogari noluit [5]), munere remotus [6]), vocationem ad sacra Quedlinburgica moderanda secutus est. Quamquam ecclesiae suae ita praefuit, ut ab sollerti animorum curatore exspectamus, tamen amorem Quedlinburgensium sibi comparare non potuit. Quod tamen minime Arndtio exprobrabis; nam quid de auditoribus judicandum est, qui pastorem inter ipsa sacra „pravis moribus" turbare solebant, quosque Arndtius frustra saepius per Deum rogaret necesse erat, ut quieto animo

---

2) Fr. Arndt l. l. p. 15. annot. — 3a) „Doch Gott hatte den besondern Segen, die Erkenntniss der Wahrheit zur Gottseligkeit einzurichten, vor dem lieben Arndt aufgehoben." Hessische Hebopfer. 1739. p. 170. not. a. — 3b) ibid. — 4) Diecmanns teutsche Schriften, Hamb. 1735. 4. tom. II. p. 212; et Arndtium quidem Gerhardum movisse, ut ille studium theologicum tractaret, praefatio nos docet, quam Gerhardus postillae Arndtianae praemisit: „denn weil ich nunmehr denn 16 Jahre ihn als meinen geistlichen Vater ehre und halte, sintemal er anfangs zum theol. Studium mir gerathen und Anleitung gegeben." — 5) cf. Arndtii epist. ad princ. Anhalt., 10. Sept. 1590, apud Scharffium, supplementum historiae litisque Arndtianae. Vitebg. 1727. 8. p. 23. — 6) Beckmann, Gesch. des Fürstenthums Anhalt. Zerbst 1710. fol. pars VI. p. 120b; cf. Arndtii epist. ad Piscatorem, 14. Jan. 1607, apud Gleichium, trifolium Arndtianum, Vitebg. 1714. p. 3: „ex patria ejectus sum, quum septem annos in illa inter varias Calvinorum insidias docuissem et contra εἰκονομαχίαν Anhaltinorum scripsissem."

verba audirent [7])! Qua quidem ex re ecclesiasticos illius temporis mores videmus fuisse depravatissimos maximaque cura corrigendos. Nihilominus Arndtio curae cordique fuisse omnibus viribus officia muneris exsequi facile concedemus; quod imprimis in mortifera illa pestilentia, qua etiam Quedlinburgum vexatum est, fecisse Arndtium ex epistola illa suavissima cognoscimus, quam ad monasterii rectricem dedit [8]). Nonne eum, qui in angustissimis temporibus periculosissimisque vitae conditionibus maxime enitebatur, ut admonitionem solatiumque largiendo miseris hominibus prodesset, multo libentius in quietis otiosisque temporibus munere strenue functum esse putemus? Qua de caussa Quedlinburgici, quum Arndtius Brunsvicum vocatus aliud munus suscipere statuisset, eum dimittere noluerunt, ita ut, permultis demum difficultatibus remotis, abire posset, posteaquam ministerium Quedlinburgicum pulchrum testimonium ei dedit [9]).

Arndtius Brunsvici solita cum diligentia inter ecclesiae socios sollertem se praebuit. Sed quum nonnulli collegae animadverterent, tot bonos fructus ex Arndtii sollertia nasci, tantum aberat, ut in sinceram consensionem communeque agendi consilium sese converterent, ut magna invidia replerentur. Quum Arndtius noster anno 1605 „primum librum de vero Christianismo" in lucem proferret, animi omnium hunc librum legentium multo propensiores in auctorem facti sunt. Inimici sordidissimas rationes minime repudiarunt, quibus scriptorem in suspicionem atque odium vocarent; ita Hermannus Deneckius, Arndtii collega, non dubitavit, Arndtium ipsum haereticum uxoremque vagam et fugitivam appellare [10]). Arndtius hos impetus criminationesque aequo animo tulit; sed quum collegae invidiosi inciperent, non solum eos, qui culpam commissam faterentur, dehortari, sed etiam auditores omnes ex cathedra commonere, ut Arndtii doctrinam praeceptaque caverent, quum Deneckium illum non puderet, locos sacratos probris conviciisque de trivio in Arndtium congestis profanare [11]); vexatum non reprehendemus, quod, quum Islebiam ad pastoratum vocatus esset, libentissime hanc provinciam suscepit; praesertim quum de illis molestiis frustra apud praetorem Brunsvicensem conquestus esset. Quanta fuerit invidia, quanta malignitas collegarum in Arndtium vel abeuntem cumulata, ex eo cognoscimus quod in catalogo ministrorum Brunsvicensium

---

7) Arndtius ad monasterii rectricem, 6. Jul. 1599, apud Kettnerum, suppl. p. 93. — 8) Kettner p. 95: „Ich habe sie häufig zum heiligen Abendmahle getrieben, habe sie besten Vermögens in der Beichte getröstet; was ich da allein für Mühe und für einen übeln Geruch ausgestanden von denen, die die Pest am Halse gehabt, weiss Gott." — 9) in Apologeticis Arndtianis apud Rambach. III. p. 1045b. — 10) Rehtmeyer. IV. p. 328. — 11) Arndtius ad Statium Kahlenium 13. Jun. 1605, apud Rehtm. suppl. p. 258.

haec perscripta legimus: „erat (Arndtius) ingenio vafro, callido et vulpino, pluris favorem et gratiam senatus, quam ministerii auctoritatem et salutem faciens, quo abeunte ministerium magno onere levatum est“ [12]. Attamen in testimonio superintendentis merita Arndtii his verbis laudantur: „erga collegas suas vita conservabilem, sermone vero affabilem, non morosum nec rixosum, sed sociabilem et sponte aliis succurrentem, familiarem et humanum perpetuo se praebuit“ [13]. Neque inanes Arndtii erant querelae, quibus dolores et miserias suas erga amicum expressit. „Numquam“, inquit indignatione repletus, „credidi inter theologos tam improbos malignosque esse homines“ [14]. Sane, animo praesagire non poterat, multo plures illius generis theologos sese inventurum esse maestoque animo aliquando se exclamaturum: „vereor, vereor, ne multi magni theologi minus habeant de Christo, quam habere putantur“ [15].

Anno 1611 Arndtius ad summum pastoratum Cellensem, ad munus generalis superintendentis quem dicunt vocatus est. Quamquam non parvis officiis premebatur, quas animorum curator exsequi debebat, tamen sollers atque laboriosus Dei minister otium invenit, quo civibus suis praestantissimos libros, ad pios sensus excitandos alendosque aptissimos, donaret.

Tota Arndtii vita animos nostros captat retinetque; neque minus mors, cui senex hilari animo obviam ivit [16], nos certiores facit de magna Dei gratia, quae in eo erat [17]. Die 11. Maj. 1621 ex corporis vinclis evolavit anima hominis, cujus nomine jam auctoritatem permagnamque animi vim praedictam esse putaverunt [18]. Quantus fuerit amor, quanta civium erga Arndtium caritas, ex multis lacrimis, quas in Arndtii sepultura fuderint, facile conjici potest; major pars non solum ecclesiae ejus, verum etiam totius urbis exsequias comitata est, inter quos etiam Christianum ducem, mortem hominis tam pii sollertisque graviter dolentem, nominant.

Arndtium per totam vitam id studuisse, ut principia doctrinae sententiasque, quas ipse semper professus erat, ad vitae usum transferret, vel maxime adversarii affirmant; veluti Lucas Osiander in libro adversus Arndtium edito expressis verbis attulit, se in Arndtii mores vitaeque casti-

---

12) Rehtmeyer. IV. p. 329. — 13) Apol. Arndt. apud Rambach. III. p. 1046b. — 14) cf. Arndtii ep. ad Gerhardum, 3. Aug. 1607. ap. Rehtm. IV. p. 325. — 15) Arndt. ad ducem Brunsvic. 29. Jan. 1621. Ramb. III. p. 1036a. — 16) cf. de tota re Rambach. praef. in tom. I. p. 11; Sendschreiben aus Zell, 28. Jun. 1621 apud Rambach. proll. ad tom. III. p. 21 b; Boemi praef. in tom. I. §. 27. p. 24. — 17) Nostra aetate simili modo nobilissimus theologus tam suaviter diem supremum obiit. cf. Lommatzsch, zur Biographie Schleiermachers in Niedner, Zeitschr. f. d. histor. Theol. 1851. Hft. I. p. 143—150. — 18) Diecmann II. p. 166. not. 8. fusius probare studuit vocem „Arndt“ nostra lingua aquilam significare; ita jam Reitz II. p. 83.

tatem omnino nihil dicere posse; libros ejus tantum intentis contemplandos esse oculis censebat [19]). Num adversarius tam acerbissimus occasionem praetermisisset in Arndtii animo moribusque ullam deteriorem partem investigandi? Attamen Osiandri liber gravissimis turpissimisque criminationibus plane refertus est [20]); sub specie orthodoxiae falsam doctrinam Arndtium fuisse dispersurum; quod quidem crimen si verum esset, mentem viri macularet.

Quoniam vero animi tam impigri fuerat, praestantissimi theologi eum pro strenuo Dei pugnatore habebant; verecundiam vere piam erga eum servavit Gerhardus, qui non modo ex scriptis eum cognovit, sed consuetudine ejus usus est [21]). Joh. Val. Andreaeus, Arndtio aequalis, de eo dixit: „. . . sanctior, quam doctior; devotior, quam scrupulosior; et in domo Dei fidelior, quam clarior, dum viveret, esse maluit“ [22]). Neque minus libere Buddeus praedicat Arndtii magnam eruditionem: „Arndtius et solidam eruditionem et summum animi candorem ad hoc scribendi genus (asceticae theologiae) adhibuit . . .“ [23]). Neminem magna sua liberalitate consolatus non est; ut omittam, eum nummos, qui ei delicta audienti solvendi erant, pauperibus donasse [24]); tam benignus erat, ut dicerent miseris eum plus largiri, quam ipsum accipere. Quae malignis calumniatoribus occasio exoptata fuit Arndtio nostro varias artes imputandi; velut artificium habuisse dicebatur, quo aurum efficeret [25]). Arndtium, qui initio studio medico sese dederat Paracelso praeceptore, vel posteriore aetate disciplinas medicas et physicas tractasse verisimile est; sed vix credas, Rehtmeyerum calumniando hoc ita narrare, ut multis verbis nobis probet, quomodo Arndtius summum illud arcanum cognoverit; sed quam male excogitatae sint ejusmodi fabulae, per se patet, et jam diu merito de hisce narratiunculis abjudicatum est [26]).

Praeter alias virtutes Spenerus in Arndtio imprimis laudat lenitatem affabilem [27]), eumque in adversarios ipsos mentem comem quidem attamen sagacissimum servasse [28]); idemque, quotiescunque sermo de Arndtio est, eum cognominibus honoratissimis exornat [29]). Juxta multas criminationes

---

19) Lucas Osiander's Theol. Bedenken, Tübing. 1624. 8. in praef. ad lectorem. — 20) Osiander. p. 141; p. 147. — 21) cf. Gerhardi praef. in Arndtii Postill. evang. et in ejus explicat. psalt. — 22) Andreae, Seleniana Augustalia Ulm. 12. 1654. incepta 1653. epist. 57. p. 64. — 23) Magni theologi Salani (Buddei) histor. critic. theolog. dogm. et moral. Frcfrt. 1724. 4. p. 203. — 24) Walch, Histor. u. theol. Einleitung. III. p. 176. — 25) Rehtm. IV. p. 333. — 26) Diecmann. II. p. 190. — 27) Spener's Theol. Bedenken. Halle 1702. III. p. 507. — 28) ejus Letzte Bed. Halle 1721. 4. III. p. 196. — 29) ibid. I. p. 351; III. p. 306; theol. Bed. III. p. 473; ejus consilia theol. latina. Frcfrt. 1709. 4. I. p. 277a.

calumniasque, quas adversarii in Arndtium congesserunt, saepius occultae sectae, falsae doctrinae deditae, Rosaecrucianorum adhaesisse dicitur; ad quam quidem rem probandam imprimis epistola Arndtiana ad Hirschium [30]), collegam Islebiensem, data utuntur, qui sub Arndtii nomine nonnullos libros Rosaecrucianorum, veluti pegasum stellatum, gemmam magicam edidisse dicitur. Quod quidem inane esse, jam ex illa Arndtiana epistola sequitur, qua amicum de hac secta perquisivit [31]), quamobrem ne ipsum quidem quicquam de hac re cognitum habuisse videmus [32]); praeterea jam diu hae litterae spuriae judicatae sunt, praesertim quum omnino nusquam chirographum inveniri potuerit atque epistola sibi ipsa repugnet [33]). At judicium de hac re ei dubium esse non potest, qui scripta Joh. Val. Andreaei, quem hujus sectae parentem designaverunt, accuratius pertractaverit; fabula est ab Andreaeo argute faceteque cavillante divulgata [34]).

Quamquam Arndtium jam omnino virtutibus suis multum momenti in alios habuisse nemo negabit, tamen hac re universam in aequales vim et auctoritatem sibi comparare non potuisset, praesertim quum provincia ejus unum tantum ecclesiae coetum amplecteretur, nisi scriptis suis magnam in omni theologia Lutherana explicanda auctoritatem sibi vindicasset.

In tractatu, quem Arndtius iconographiam inscripsit, de origine et significatione imaginum disseruit [35]). Quem quidem libellum singulari quadam occasione data concepit; nonnullis annis praeterlapsis quum animum ad ecclesiae Lutheranae statum, qui tum erat, converteret, etiam atque etiam se evocatum putavit, ut huic tam tristi conditioni auxilium ferret; ex eo consilio nati sunt libri quattuor, qui inscribuntur „de vero Christianismo.“ Quamquam in titulo quattuor libri sunt indicati, tamen primus solus in lucem prolatus est, Brunsvigae anno 1605.

Quo Arndtii auctoritas in posterum magis magisque imminueretur, collegae omni modo impedire conati sunt, quominus tres reliqui libri im-

30) Gottfried Arnold, Kirchen- u. Ketzerhistorie. Frcfrt. 1729. 4. IV. p. 947b. — 31) Rambach. III. p. 611 a. — 32) M. B. F. B. myst. iniquit. pseud. p. 100. — 33) Diecmann. II. p. 191. Guhrauerus in commentatione his diebus emissa („Ueber die fama fraternitatis des Ordens des Rosenkreuzes“ in Niedner, Zeitschr. f. d. histor. Theol. 1852. Hft, 2. p. 300.) hanc epistolam pro certa, non fictitia, habet; attamen indicia apud Arnoldum tam suspensa et obscura nobis esse videntur, ut dubitemus Guhrauero assentiri. — 34) Hoc jam anno 1622 suspicatus esse videtur Nicol. Hunnius: Christl. Betrachtung der neuen Paracelsischen u. Weigelian. Theol. Wittbg. 1622. praef. cf. p. 51; cf. Hagenbach, Vorless. III. p. 393; Hossbach, Andreae l. l. p. 99. 120; Guericke, Kirchengesch. III. p. 486; Guhrauer l. l. p. 306. — 35) cf. supra not. 6.

primerentur [36]). Qua de caussa Arndtius ex amico Gerhardo quaesivit, ut judicia theologorum ordinis in academia Jenensi et Giessensi sibi subministraret [37]); paratissimum sese esse declaravit, locos obscuros, qui offensionem praeberent, corrigere aut omnino omittere. Quod quidem propositum revera exsecutus est; nam ipse in illa epistola ad Gerhardum data scribit: „librum recudendum curavi, immutatis omnibus, quae vel speciem dissensionis, ne dicam heterodoxias, habent." Arndtium, qui in aliorum scriptis dijudicandis erat religiosus, ne, quae forte offensioni esse possent, imprimerentur [38]), eodem revera judicio in suis ipsius libris uti debuisse verisimile est. Quamquam multi amici diu auctorem frustra rogarunt, ut reliquos quoque libros ederet, denique ipsi Gerhardo iterum atque iterum monenti [39]) reliquos tres libellos misit perlegendos, ea tamen conditione, ne in vulgus proderentur; „toties a me efflagitatos, quos de Christianismo meditatus sum secundum, tertium et quartum libellos meos, victus humanissimis tuis precibus, tandem ad te in privatum saltem usum mitto" [40]). Nihilo secius tamen libri Magdeburgi 1610 [41]) editi sunt, sive Gerhardus curavit, sive Piscator.

His libris exceptis 1612 Lipsiae foras datus est liber precationum, quem auctor inscripsit: „Paradiesgärtlein voller christlicher Tugenden", qui liber quum lectorum animos dulcedine deleniret atque commoveret, non minus divulgatus est, quam liber de vero Christianismo; praeterea hic liber mira quadam ratione saepe servatus est [42]), quod documento est, quanti ab omni hominum genere aestimatus sit.

Alium librum, Postillam, in quo auctor evangelia diebus solis festisque constituta explicat, Lipsiae 1615 emissum Gerhardus praefatione ornatum in lucem produxit; eidem libro 1675 edito Spenerus praefationem praemisit, quae nomine piorum desideriorum omnibus est pernota [43]). Etiam explicationem psalmorum Arndtius foras emisit. Praeterea nonnulla

---

36) Arndt. ad Gerhardum apud Rehtmeyer. IV. p. 323: „editionem reliquorum librorum collegae impediunt, censuram nimis mordacem usurpant et mea contemnunt. Ab editione primi libelli persecutionem et calumnias plures passus sum." — 37) Rambach. III. p. 603 a. — 38) Arndt ad Hermannum: „conciones tuae, ut lucem ferre queant, corrigendae sunt." cf. libros Arndtianos de v. Chr. praes. Wernsdorfio examinabit Elers. Vitbg. 1714. p. 11. — 39) 1. Mai 1608: „mitte libellos tuos, mitte inquam, et meae concrede fidei, si publico usui denegare vel maxime velis, mihi denegare eos non poteris." cf. Rehtmeyer. IV. p. 326. — 40) 10. Jun. 1608. in Apol. Arndt. apud Rambach. III. p. 1026 a; cf. praeterea ib. p. 606 b. — 41) fortasse jam anno 1609 prodierunt, cf. Walch. V. p. 1128. — 42) cf. prolegg. in Rambach. III. p. 26; Hessische Hebopfer. III. St. 22. p. 164. — 43) Hase, Kirchen-Gesch. 6. Aufl. p. 468; Hagenbach, Vorles. IV. p. 198; Guericke, Kirchen-Gesch. III. p. 489.

minora scripta nobis asservata sunt, veluti: „Haus- und Herzkirche, d. i. wie das Reich Gottes in uns zu bauen“; nonnullos libellos latine composuit; de unione credentium cum Christo Jesu capite ecclesiae [44]), cui tractatui addidit alium de sacrosancta Trinitate, alium de incarnatione filii, alium de spiritu sancto deo vero ejusque charismatis et beneficiis.

Anno 1620 Arndtius edidit libellum, qui inscriptus est: „Lehr- und Trostbüchlein vom Glauben und heiligen Leben.“ A Dilgero, pastore Dantiscano, rogatus, ut se defenderet [45]), Arndtius eodem anno concepit repetitionem apologeticam, d. i. Kurze Wiederholung und Verantwortung der Lehre vom wahren Christenthume; quem tractatum auctor ministerio Dantiscano dedicavit. Praeterea Arndtius in singulos libros, veluti in reformationem papatus, in theologiam germanicam praefationes conscripsit. Liber, qui inscribitur informatorium biblicum, post mortem Arndtii anno 1623 ab M. B. editus verisimiliter ab ipso Arndtio litteris est perscriptus [46]); postea in eundem librum incidimus sub titulo: „Geistliches Brodkörblein“ [47]). Omnino nonnumquam singuli tractatus ab Arndtio concepti nobis occurrunt sub titulo ab editione principi discrepanti; veluti liber precationum, „geistliche Seelenarznei“ nihil est nisi quarta pars Arndtiani libri precationum „Paradiesgärtlein.“ Ex qua quidem re explicari potest, quomodo evenerit, ut et Freherus et Wittenius, qui catalogum librorum Arndtianorum con-

---

[44]) Arndtius revera hunc libellum primum latine, non germanice composuit, cf. Diecmann. II. p. 227. (contra Scharffium, qui [supplem. p. 69.] in Arnoldum invectus, ipse erravit). Rem ita se habere editione, quam in bibliotheca nostra invenimus, docemur, quae quidem pro editione principi est habenda; nam in titulo hujus libelli, qui quidem anno et loco non indicato editus est, legimus peculiarem annotationem, qua Arndtius apud lectorem se de ea re excusat, quod liber latine scriptus sit, quum auctor otium optabile non habuerit vertendi, priusquam ederetur; ab initio latine compositum fuisse. Praeterea verisimilius nobis videtur esse, multo longiorem titulum germanicum esse auctum ex prima breviore latina inscriptione, quam ex altera parte titulum latinum ex germanico brevius contractum. Hoc libelli exemplar revera autem est princeps editio atque saltem initio anni 1620 typis impressum. Nam, ut omittamus, hunc tractatum in nostra bibliotheca inveniri in vetere volumine, quod libellos ad rem Arndtianam spectantes continet, qui secundum tempus editionis membrana muniti videntur (1. Joh. Arndtius, de unione credentium; 2. repetitio apologetica, Lüneb. 1620; 3. Mysterium iniq. pseud. auctore M. B. F. B. Goslar 1621; 4. Paul. Egardus, Ehrenrettung Johannis Arndten, Lüneb. 1624; 5. Schola Arndtiana durch Maur. Rachel, Rostock 1627); etiam litteras Cnopii, ad Arndtium 16. Jun. 1620 datas, habemus, in quibus hic liber sub eodem titulo latino commemoratur. Apolog. Arndt. apud Rambach. III. p. 1031 b; idem confirmat Varenius, Christl. Rettung. I. p. 106. — [45]) Scharff., supplem. p. 134. — [46]) ibid. p. 66; cf. Unschuldige Nachrichten von alten u. neuen theol. Sachen, Leipz. 1705. p. 601; 1709. p. 561; cf. praeterea Löscher, Suppl. zu d. unschuld. Nachrichten, 1701—1710. Leipz. 1731. 2. Aufl. p. 711. — [47]) Walch, tom. III. p. 181; ita Freherus, theatrum theol. erud. clar. p. 410 a.

scripserunt, lapsi sint. Uterque laudat nonnullos peculiares tractatus, ita: geistliche Seelenarznei, geistliches Brodkörblein, Haus- und Herzkirche, dum Freherus librum precationum Paradiesgärtlein omnino praetermittit; quod facit immerito, quoniam priores libelli partes plane non commemorat. Wittenius praeter singulos libellos etiam Paradiesgärtlein laudat, contra quartam partem hujus libelli bis citat. Praeterea uterque in eo peccat, quod libellum de unione credentium iterum affert sub titulo: Die süsse anmuthige Lehre cett.; denique uterque Arndtii primum scriptum, iconographiam, ignorat [48]). Nos vero supersedere possumus hic catalogum scriptorum Arndtianorum componere; quam rem jam Rambachii editione omnium librorum Arndtianorum illustratam et explicatam esse scimus.

Ut aut singulis libris auctoritas quaedam compararetur, aut ex altera parte Arndtio crimen quoddam affigi posset, nomini ejus nonnulli libelli subjecti sunt, veluti mysterium de incarnatione verbi, quem librum immerito etiam Arnoldus ad Arndtium auctorem refert [49]), aut practica medendi, quos libros suppositos esse jam ea re perspicue cognoscimus, quod non prius quam quadraginta vel etiam octoginta annos post Arndtii mortem nomine ejus exornati in vulgus prodierunt [50]).

§. 3. De libris, qui inscribuntur: De vero Christianismo.

Ut jam ad libros de vero Christianismo contemplandos accedamus, hoc nos movet consilium, ut accurate inquiramus non solum quo modo hi libri nati sint quibusque rationibus perductus scriptor eos conceperit, verum

---

48) Freherus. p. 410 a; Wittenius, memorab. theolog. p. 177. — 49) Gottfr. Arnold. l. l. II. p. 947 a; contra Wernsdorf. p. 16; cf. Unschuld. Nachr. Leipz. 1705. p. 815; Diecmann. II. p. 195; Unschuld. Nachr. Leipz. 1709. p. 597; Walch l. l. III. p. 184; Rambach. III. p. 621. — 50) Utrum praefatio in scripta Praetoriana revera ab Arndtio sit concepta (Rambach. III. p. 578.), necne, nullius est momenti. Ex duodesexaginta tractatibus Stephani Praetorii (Arnold. II. p. 942.) Statius conscripsit syllogen, quam inscripsit „Schatzkammer der Gläubigen", de quo libello Spenerus magnum esse adjumentum fidei dixit (theol. Bed. III. p. 447.), quamquam etiam hoc judicium legimus: „non inficias eo, in Praetorianis legi, quae cum commiseratione legi, et lucem non vidisse mallem" (ej. cons. theol. lat. III. p. 87.). Putamus, Arndtium, si scripta Praetorii (peritissimi duodeviginti linguarum cfr. Hossbach, Andreae p. 66.) commendaverit, non omnes sententias approbare debuisse, ut jam Spenerus censuit. Ceterum praefatio non prius, quam anno 1622, ubi Arndtius jam mortuus erat (Speneri consil. theol. lat. III. p. 87.), in lucem prodiit; neque desunt loci, in quibus Spenerus libellos Praetorianos maxime praedicat. cf. theol. Bed. III. p. 272. 423. 447. 714; IV. p. 137. 482; cf. praeterea Walch l. l. IV. p. 614 sqq.; Spener's theol. Bed. IV. p. 516. 108; I. p. 164.

etiam ut pauca de librorum argumentis disseramus. — Exploratum habemus primum librum natum esse ex orationibus [1], ab Arndtio habitis, et ita quidem librum compositum esse, ut sententiae, quae initio singulorum capitum leguntur, orationis textus verba fuerint; quas tamen orationes auctor alia omittendo alia addendo refinxit. Quantum momenti jam primus hic liber habuerit, ex eo concludere possumus, quod paucis annis post, 1615, in Helvetia denuo typis expressus est; nam quamquam titulus libri plane mutatus erat: „Der Tod Adams und das Leben Christi", tamen nihil erat, nisi editio immutata Arndtiani libri primi de vero Christianismo [2].

Alii quattuor tractatus Arndtii, quos supra commemoravimus, tam arcte cum libris de v. Chr. cohaerere videbantur, ut posteris in editionibus, et nostris quidem temporibus fere semper, sex libri de v. Chr. ederentur, ea quidem ratione, ut libellus „repetitio apologetica" sextus liber numeraretur, reliquos tres tractatus quintus liber amplecteretur. Priore tempore post auctoris obitum semper quattuor tantum libros enumerari per se patet; quapropter etiam Varenius cavillando ex Osiandro, qui in Arndtium criminationem quandam protulerat, quae ex libris quattuor de v. Chr. probari omnino non poterat, jure quaesivit, num ea forte quinto libro legerentur [3]. In versionibus latinis plerumque quattuor libri inveniuntur, veluti quae edita est Lunaeburgi 1625, Londini 1708; contra Lunaeburgi 1695 editi sunt quinque libri; quorum quintus quattuor illos tractatus continet. Praeterea Arndtius unicuique capiti precationem addidit [4], quarum unam alteramve Osiander laudat. Quae quidem precationes jam in prima latinae versionis editione omissae sunt; etiam postea aut omittuntur, veluti in editione Lunaeb. 1695, aut in fine librorum in unum librum precationum conscriptae sunt; ita libros Wiegnerus foras emisit Smalcald. 1736. Nostrae contra aetatis editiones precationes in vetere loco lectori ob oculos ponunt, veluti Krummacheriana editio.

Modum et rationem, qua Arndtius quattuor libros conceperit, considerantes facile percipimus, non omnes cogitationes Arndtii ipsius esse, quum nonnullos locos, vel tota capita, ex antiquorum mysticorum libris hauserit; qua ex re postea maxima nata sunt dissidia. Arndtium revera nonnulla ab aliis scriptoribus sumpsisse ipsumque saepius auctorem nomi-

---

1) Diecmann. II, p. 207. cf. Rambach. praef. in T, III. p. 4. — 2) Scharff, supplem. p. 79. — 3) Varenius, Christl. Rettung. 1624. I. p. 353. Rachel, schol. Arndt. 1627. p. 37. — 4) De ea re, quam Fr. Arndt. p. 250. refert, Hoburgium in libro, quem inscripsit praxin Arndtianam, singulis capitibus singulas precationes concepisse, nihil comperti habemus, quoniam aditus ad illum libellum nobis non patuit; hoc autem ex loco libri Osiandri patet, jam Arndtium tales precationes unicuique capiti addidisse; cf. Osiander. p. 341.

nasse [5]), defensores ejus vel addictissimi fatentur; quo autem jure Wernsdorfius dicat: „Brellerus et Varenius Arndtium quaedam e Weigelio petisse negant“ [6]), non intelligimus; uterque enim concedit, Arndtium nonnullos locos ex Weigelii libello haustos in suum usum convertisse, quamquam alio sensu atque Weigelius illa verba locutus sit [7]).

Qua caussa ductus Arndtius ex antiquo libello mystico, ab Angela da Faligno concepto [8]), sententias quasdam, veluti lib. II. cap. 13. 14. 18. 19. 20. [9]), auctore non appellata mutuatus sit, commode inquirere possumus; quum enim scriptor noster sententias tantum depromeret, quas ipse oratione vestiret et doctrinâ ecclesiae catholicae expurgaret, auctorem tam veterem, quae libellum composuit, appellare non esset nisi offensioni, praesertim quum Angela jam multum temporis ante reformationem vixerit, anno 1309 diem supremum obiens [10]); nec raro confessores evangelicae doctrinae animo ita abripiebantur, ut, quaecunque ex ecclesia catholica originem duxerint, plane aspernarentur, quoniam omni modo falsam doctrinam, adulanti oratione opertam, in se suscipere se suspicati sunt. Ut reformatorum libros omittamus, Taulerum laudamus, a quo Arndtius noster nonnulla petiit multosque quidem locos libri tertii, quamquam ipse auctorem identidem citavit; itemque nonnulla, quae in suos libros intexeret, ex libro, quem Thomas a Kempis de imitatione Christi inscripsit, Arndtius protulerat.

In libro secundo Arndtiano de v. Chr. capite tricesimo quarto, in duodecim alia capitula diviso, locus legitur de precatione, qui totus ex Weigelii libello desumptus est. Weigelii liber viginti sex capita complectitur; multo igitur plura continet, quibus Arndtius usus non est. Eis, quae scriptor ipse ad se defendendum attulit, contenti esse debemus [11]). Hunc enim tractatum Arndtio amicus submisit ea quidem ratione, ut Arndtius ipse dubius haereret, quis auctor esset. Quum in illo tractatu nihil inveniret, quod offenderet, multaque lectu dignissima censeret, minime dubitavit libellum scriptum submissum typis exprimendum curare et in librum secundum suscipere, quo multorum lectorum animi pietatis virtutisque amore incenderentur. Totam rem ita sese habere eo probatur, quod Weigelii scripta non ante annos 1611 et 1618 [12]) in vulgus nota fuerunt; quod vel

---

5) lib. III. cap. 1. p. 310 b; I, 13. p. 35 a, II, 26. p. 201 b; II, 37. p. 236 a; II, 53. p. 290 b; IV. I, p. 355 b. — 6) Wernsdorf. p. 48. — 7) Varenius. I. p. 81; p. 86. M. B. F. B. myst. iniq. pseud. p. 98. Egardus, Ehrenrettung. p. 33. — 8) Baumgarten, Gesch. der Religionspartheien, ed. Semler. 1766. 4. p. 1229. — 9) Diecmann. II. p. 177. — 10) Arnold, Mystische Theologie. Frkft. 1703. 8. p. 469. cf. ejusd. Vertheidigung der myst. Theol. p. 189. — 11) repetit. apol. libr. II. p. 512 b. — 12) Guericke, Kirchen-Gesch. III. p. 472. n. 1. Boemi praef. tom. I. p. 13.

acerbissimus Arndtii adversarius, Osiander, concedere se coactum esse videt [13]).

Ex scriptis Paracelsi perpauca tantum ab Arndtio deprompta sunt, quod auctori nostro, qui initio magno amore deditus fuerat studio medico, facile concedes; quamquam ne ipse quidem in verba magistri juravit [14]).

Consilium Arndtii in libris de v. Chr. edendis minime esse poterat, explicationem religionis christianae vel christianae fidei praecepta ex artis lege proponendi; quod perverse Osiander propterea praetermissum putat „weil er darin nicht fest gewesen“ [15]), sed quoniam ei persuasum fuit, libris ita compositis in vita christiana ipsa nihil emendari posse. Cujus quidem rei Arndtianae epistolae nobis testes sunt. Neque enim in animo habuit, contra falsos doctores aut adversus falsam doctrinam scribere, quod libenter se doctis theologis concessurum esse saepius asseveravit; voluit, ut fidei principia ad vitam referrentur et hoc modo ipsa tamquam vivida fierent. Quam quidem sententiam in libris illis dijudicandis maximi esse momenti in sequentibus fusius probaturi sumus. Ex artis praeceptis de sententiis quibusdam theologicis disputavit Arndtius in nonnullis tractatibus, ut orthodoxiam suam probaret. Eodem consilio ad ducem Brunsvicensem scripsit, verum Christianismum ex duabus partibus contineri, ex veritate doctrinae et ex pietate vitae; „primam partem hactenus abunde tractarunt doctores academici, ego et alii pace illorum secundam partem tamquam fructus“ [16]). Arndtium ipsum sese evocatum sensisse, ut statui non solum theologiae verum etiam universae vitae christianae auxilium ferret, ex eis, quae de illis temporibus exposuimus, perspectum iri speramus. Ea aetate Dilgerus, homo ille verae pietatis, in epistola ad Arndtium data: „multis, inquit, „saepe lacrimis deploravi praesentes saeculi mores, in quo non „solum quisque sibi religionem fingit, refingit, sed et illi, qui verae reli- „gionis se socios esse gloriantur, ita vivunt, ut vita ab ethnicis deum „ignorantibus discerni non possint, solo nomine gaudent, quod Lutherani „nominantur et Christiani“ [17]). Quicunque non solum verbis verum toto pectore Christianae doctrinae deditus erat, acerbo moerore affici debebat, quoniam tali religione nemini satisfieri poterat. Quamobrem Arndtius viam quasi monstravit atque dux fuit theologorum sollertium, quibus eaedem sententiae et principia, atque ipsi, cordi erant [18]). Haec de universo auctoris consilio.

---

13) Osiander in praef. ad lect.; cf. nos §. 8. II. — 14) Diecmann. II. p. 185—209. — 15) Osiander in praef. ad lectorem. — 16) 28. Jun. 1621. in apol. Arndt. apud Rambach. III. p. 1035b. — 17) 12. Aug. 1620. in apol. Arndt. Rambach. III. p. 1033b. — 18) Lücke, Theol. Stud. u. Krit. 1851. Hft 4. p. 906. 928.

Sed etiam singula momenta afferre possumus, quae auctor ipse jam exposuit, sive in praefatione in singulos libros, sive in epistolis; ipsis Arndtii verbis utamur liceat. Arndtii consilium maxime quidem ad vitam christianam emendandam spectavit [19]; revera tamen theologiam, scientiam doctorum et academicorum, correctam voluit. „Finis et scopus meorum librorum talis est: volui mentes avocare a theologia nimis disputatrice, quae in scholasticam pene abiit; populum christianum avocare a fide mortua, et reducere ad fructificantem, a nuda scientia et orthodoxia ad praxin fidei et pietatis; ostendere, quid sit vita vere christiana“ [20]. Alio loco suaviter scribit [21]: „Remedium invenire volui externae pietati hujus corruptissimi seculi: et viam ostendere, qua etiam renati post conversionem per spiritum Dei, innatam cordis pravitatem horrendam coercere et edomare queant. Nec tam illis scribo, qui in statu sunt ante conversionem, quam illis, qui Christum jam per fidem agnoverunt [22], et tamen ethnice vivunt. Hos ut carnales concupiscentias per spiritum sanctum exuant et reprimant, adhortor. His praemia pietatis et timoris Domini, illuminationem nempe spiritus et donum Dei spiritualium auctionem, constituo. His fidei naturam, corda purificantem, totumque hominem renovantem, explico et commendo. His gratiae divinae energiam, qua roborati et adjuti renati, opera carnis coercere, mortificare et Christi vitam vivere rectius et sanctius queant, demonstro et praedico.“ Similiter scripsit Arndtius ad Frantzium, libros suos esse externa testimonia interni regni Dei [23].

Quum libri Arndtiani nobis demonstrent, quomodo homo ab agnoscendis peccatis profectus veram salutem sibi acquirere possit, facile intelligitur, Arndtium non tam hominibus scripsisse, qui a religione christiana prorsus alieni essent, quam qui jam cognitionem quandam quamvis exiguam fidei christianae sibi parassent; multos enim locos imagine expressos homo Christianismo alienus vel adversarius intelligere et percipere non potest; etsi in obscuris primoque aspectu paene intellectu carentibus orationibus, si paullo attentius legemus, quid insit verum, facile inveniemus [24]; aliis locis Arndtius ipse explicationem addidit [25].

Si homo penitus melior fieri vult et studere, ne in priorem statum

---

19) Arndtii praef. in libr. precationum „Paradiesgärtlein“, Krummacher p. 557a. — 20) Arndt. ad duc. Brunsv. 29. Jan. 1621. in apol. Arndt. apud Ramb. III. p. 1036a. — 21) Arndt. ad Piscat. cf. Rehtmeyer suppl. p. 232 sq. cf. Gleich p. 3. — 22) non tam „hominibus justificandis“, quam „justificatis“, IV. p. 432 b; ita judicaverunt postea Polyc. Leyserus, Wernsdorfius (p. 56; cf. Rambach. III. p. 1064 b). — 23) cf. Rambach III. p. 612 b. — 24) lib. I. c. 6. p. 16 b. — 25) I, 39. p. 111 a, ubi Tauleri verba allata explicantur. cf. IV. II. cap. 12. p. 410 a; c. 17. p. 414 a; c. 18. p. 414 b.

virtute orbum cadat, primum peccata sua agnoscere debet, quoniam malae mentis homines Christi gratia nihil adjuvat. Maximum studium, maxima ei diligentia necessaria est, qui his rebus mundanis prospere renunciare vult. Homo cui jam persuasum est, se in hoc mundo, se voluptatibus mundanis salutem sibi comparare non posse, prima initia novae vitae fecit. Quo validius tentationibus mundi sese opponat, ipse quotidie denuo nasci, Christus quotidie in eo vivus fieri debet. Haec continet primus liber [26]).

Liber secundus nos propius ad vitam vere christianam adducit. Talibus piis considerationibus, quae animos librum primum legentium occupant, ad Christum perducimur, in quo solo gratiam ac salutem acquirere possumus. Si crucem Christi in nosmet ipsos suscepimus, considerandis rebus divinis animus noster delectatur; sentimus nostris ipsorum viribus nos juvari non posse; Dei gratia in nobis operaria perspicitur, simulatque veram fidem nobis comparamus.

Ad proximum gradum liber tertius nos adducit; pervenimus quasi ad finem, ad coronam vitae Christianae; cognoscimus regnum Dei in nobis ipsis esse quaerendum; tum Deus animum nostrum intrat, sentimus appropinquantem, atque ita novis viribus afficimur ad vitam agendam Deo placentem hominibusque utilitatem praebentem. Qui argumentum hujus libri tertii reputat, videt Arndtii theologiam fuisse mysticam, quam tamen mysticam in unoquoque homine inesse cupiamus.

Quarto denique libro Arndtius exponit jam naturam ad hanc cogitandi rationem nos ducere; quapropter inscriptus est „liber naturae." Considerantibus naturam non solum Deus nobis monstratur, verum etiam Deum amore complecti cogimur; plurimas ei gratias agere pro maximis ejus gratiae caritatisque erga homines documentis. „Quartus per macrocosmum et naturae librum Deum auctorem et conditorem naturae pectoribus humanis intime insinuat" [27]). Hunc ipsum quartum librum nondum satis perspectum et cognitum esse adeo non negamus, ut dicamus, etiam nostris temporibus Arndtii sententias et cogitationes, quas in quarto libro legimus, omnino apertas reclusasque non esse; quod vel Speneras de se aperte professus est [28]). Quamvis postea accuratius de hac re disputaturi simus, tamen jam hic sententiam nostram profiteamur. Jam tertio libro Arndtius descripserat, quale esset regnum Dei; quarto vero libro eo progreditur, ut exponat, quomodo hic mundus fieri possit regnum Dei et ornari, ut sit regnum Christi. Mundus gratiâ Dei et Christi transformatur in aeternum Dei regnum, in regnum gratiae.

---

[26]) cf. Arndt. ad Gerhardum apud Rambach. III. p. 1026 b; similia dedit auctor ad amicum quendam ibid. p. 613 b. — [27]) ibid. p 1027a. — [28]) Fr. Arndt. p. 234.

Ex eis quae hucusque attulimus, facile intelligemus, imprimis librum tertium, librum conscientiae, qui agit de regno Dei in hominum animis, controversias dubitationesque gignere potuisse; contra liber primus, liber scripturae, et secundus, cui titulus erat: „liber vitae seu Christus", magis magisque lectorum animis satisfacere debebat; quamquam nonnulli, vel potius plurimi eorum loci tamquam a vera fide deflectentes infamati sunt. Atque hic tertius liber etiam Gerhardum, qui primum librum valde approbarat, movisse videtur, ut judicium de Arndtianis libris omnino non mutaret, sed tamen cautior factus sit. In libro quarto nihil offensioni erat, quum homines et fortasse auctor ipse profundam et quasi divinum spiritum prae se ferentem sententiam non satis perspectam haberent.

Arndtii libri quattuor in latinum vertebantur primum Lunaeburgi 1625 et duce Brunsvicensi jubente ordini theologico Jenensi, in qua academia Gerhardus erat illustrissimus theologiae professor, ad censuram exercendam propositi sunt, ut tandem certum haberetur judicium. Approbatio autem recusata est, qua de re Gerhardus ad Aegid. Hunnium scripsit: „una cum collegis meis in hanc respondi sententiam, quod parati simus ea, quae in libris 1. 2. et 4. occurrunt, substitutis quandoque phrasibus commodioribus, explicare, et, quam quidem fieri possit, depravationi occurrere. Tertium vero librum ita comparatum esse, ut vix possit absque jactura maximae partis emendari; unde etiam approbationem recusavimus" [29]). Libri tamen editi sunt. Libro tertio in hac editione epilogi loco annexae sunt tres orationes, quae ex libello precationum petitae sunt [30]). Versio ipsa, si cum textu germanico comparas, paullo solutius est composita; qua de caussa Pritius: „non, inquit, diffiteor equidem, si nos primum ad opus hoc accingi oportuisset, paullo pressius auctoris verba nos fuisse secuturos" [31]). Infra dedicationem principis editionis, quam etiam in nostra bibliotheca Gottingensi invenies, leguntur duae litterae M. B., quas Melchiorem illum Brellerum, quem jam nominavimus, designare verissime defenditur [32]).

---

29) 2. Febr. 1625. Rehtmeyer, suppl. p. 237. — 30) Krummacher, p. 576b; 595a; 632a. — 31) cf. Rambach. III, p. 1057b. — 32) Quamvis praeter Brellerum etiam Joh. Val. Andreaeus, qui libros in latinum verterit, nominetur (Rambach. III. p. 1057b), tamen eam sententiam, quam alii jam secuti sunt (Diecmann. II. p. 216; cf. Walch. V. p. 1129,) approbamus; nos quoque Melch. Brellerum pro auctore versionis habemus; cf. de tota re §. 6. not. 24.

CAPUT SECUNDUM.

DE THEOLOGIA ARNDTIANA.

§. 4. De theologia Arndtiana.

I. Consilium nostrum esse non potest, disciplinam ad omnes artis leges accommodatam hic tractandi vel Arndtii sententias opinionesque religiosas universas constituendi, quas in libris ejus imprimisque in libro de vero Christianismo professus sit; quale artificium apud Arndtium frustra quaesieris; quoniam ipse identidem certiores nos facit, se non doctrinam christianam tractare velle, sed vitam vere christianam [1]).

Quum igitur Arndtius ipse significet, quomodo libri sint dijudicandi, non solum negativum habemus momentum, quod dicunt, de universo statu theologiae Arndtianae, verum etiam positivum. Saepius legimus auctorem cupere, ut scripta sua ex regula fidei Lutheranae explicentur, quum verbo et animo libris symbolicis et formulae concordiae sit addictissimus [2]). Quae quidem indicia nobis probant, Arndtianas sententias et principia non ex singulari contemplatione neque ex propria quadam auctoris natura profectas esse; e contrario Arndtianam theologiam ecclesiae Lutheranae fidei accurate assentiri, eamque plenis velis sequi. Qua in re mirari non possumus, quod singula fidei dogmata amore quodam complexus est scriptor; quamobrem imprimis eas res considerare debemus, quae ad Arndtii sententias formandas et ad ingenium excolendum habuerint aliquid momenti.

Arndtius filius erat pastoris, eximia pietate pernoti; quum legendis bibliis sacris Arndtii ingenium conformaretur, non minus praeclarum exemplum pii Wolfgangii, principis Anhaltini, qui apud suos haud raro ipse pastoris munere fungebatur [3]), puerum impulit, ut hominem pietati deditissimum imitaretur. Adolescens, permultis impugnationibus prospere per-

---

[1]) Arndt. in praef. ad lect. repetitioni apolog. praefixa, Krumm. p. 494a; cf. §. 3. p. 18. — [2]) cf. §. 6. init.; Arndt. in exeunte praef. in libr. I; in fin. libr. II; in praef. in rep. apol. p. 494a. — [3]) Hagenbach, Vorless. III. p. 371.

functus, mature prohibitus est, quominus hanc vitam terrestrem bonaque caduca nimis admiraretur, atque monitus est, ut verum solatium ex pietate hauriret. Verum non solum hae res externae ad Arndtii animum excolendum idoneae erant; etiam internae accesserunt. Praeter scripturam sacram Arndtius maximo cum studio antiqua illa scripta mystica legendo tractaverat, quae valde eum arridebant, et ex eis eodem modo, atque Lutherus [4]), quietem ac solatium percepit, abhorrens ab aetatis suae studiis; qua re mens juvenili robore exornata id agere studebat, ut mores animosque sociorum corrigere conaretur. Ita Arndtius in historiam ingressus est, non ut pro novo reformatore haberetur, sed ut doctrinam vere christianam ad vitae usum transferret.

Quemadmodum temporibus quinti saeculi in ecclesia catholica mystica quam vocant contemplandi ratio in scriptis Pseudodionysii prima exorta est [5]), posteaquam ejus doctrina ad certum finem et ad firmam formationem pervenit atque cum acerbitate, ex parte hominum conscientias tyrannice dominanti [6]), integritas doctrinae servata est: ita in ecclesia Lutherana similiter comparuit theologia mystica, postquam formulâ concordiae compositâ doctrina ecclesiae nostrae ad finem quendam perducta animis theologorum facultatem obtulit, in eum accuratius inquirendi et contradicendi. Quum theologia scholastica effloresceret et dominationem quandam, qua tamen haud raro ad minimas res scrutandas abuti solebant, ad se raperet, in ecclesia catholica illustrissimi homines mystici aetatis mediae excitati sunt: etiam in ecclesia Lutherana hanc mysticam theologiam efflorescere videmus, quum tot theologiae doctores et praeceptores ipsi in sola fide historica conquiescerent, et ita animorum securitas, nonnumquam voluptatis libidinibus dedita, vim quandam haberet [7]). Ecclesia Lutherana ex summis diversissimisque mysticae theologiae formationibus sese expedire debebat, priusquam ad theologiam mysticam sanam animosque delenientem, quae prospere in vitam externam vi auctoritateque usa est, pervenire posset [8]). Arndtii, Muelleri, Scriveri sententiae [9]) ex hoc mystico fonte profectae sunt et in singulis opinionibus imaginibusque ad praecedentes mysticos sese applicaverunt. Ex pietate vera ac Deo dedita exortae in alios maximum sibi momentum pepererunt. Nullo modo denegabimus, nos in libris horum

---

4) Hossbach, Spener. I. p. 60; Ullmann, Reformatoren vor der Reform. II. p. 232. 251. 265. cf. praeterea Rudèlbach, d. histor. Recht der Reform. in Rudelb. u. Guer. Zeitschrift. 1849. Hft. 3. p. 116. — 5) Gieseler, Kirchen-Gesch. I, 2. 4. Aufl. p. 386. — 6) Delitzsch, der naturphilos. Mysticism. in Rudelb. u. Guer. Zeitschrift. 1841. 3. p. 38. — 7) Guericke, Kirchen-Gesch. III. p. 470. — 8) Hagenbach, Vorless. III. p. 342. — 9) Hagenbach. ib. p. 371; cf. Hossbach, Spener. I, 60; Horn, Gesch. der Poesie u. s. w. I. p. 147.

virorum in mysticas opiniones, immo in ipsa mystica principia et praecepta, incidere; sed libere profitemur, nos cupere, ut sana et sincera theologia mystica omnes Christiani utantur, qua reddimur veri Christiani, non qua animo pusillo naturam Dei perscrutari student homines atque in Deum totos se immergere opinantur. Num auctoritatem, quam Taulerus, Suso, Thomas a Kempis sibi comparaverunt, pro nihilo habeamus, et inter mysticos catholicos, qui postea vixerunt, Fénélon? Nonne Arndtii, Muelleri, aliorum scripta legendo animi nostri deleniuntur? — Quamquam libenter concedimus, voce „Mysticismus" nihil aliud significari, quam voce „Mystik", si ad solam originem spectamus [10]), tamen merito inter veram et falsam theologiam mysticam discerni [11]) censemus. Saepius voce mysticismi falso ea denominantur, quae profecto, si mysticismus omnis rejici debet [12]), ita appellari non merentur. Vocem mysticismi sensu nimis amplo [13]) usurpari putamus, si eum simpliciter rejiciunt viri docti aut ad summum „relativam" [14]) ei auctoritatem concedunt. Prorsus aspernandus esset, si eum statum animi ita nominares, in quo hominum mentes sensui imaginationique plane subjectae sunt, atque ita, ut homo ipse respuat perspicue cogitare atque prudenter agere [15]). Num sententias omnium illorum piorum hominum, quorum scripta appellari solent mystica, cum vilibus degenerationibus manifestorum fanaticorum, quae quidem ex eodem casto fonte oriuntur, comparare possumus? Si eis assentiremur, qui concedere nolunt, inter veram et falsam theologiam mysticam discernendum esse, illam contemplandi formam, quam apud Arndtium reperimus, mysticam appellare non possumus, quoniam nullo modo dicemus, Arndtii sententiis et cogitationibus res aeternas ac divinas in internam naturam et peritiam deprimi [16]). Num te celare potes, mysticismum vere christianum posse cogitari, si voce mysticismi summum amorem, intimam applicationem ad Deum et Christum intelligimus aut nimium studium quo animus mysteria religionis tractando delenitur atque in ea se immergit, si mysticismo attentissimam illam rerum divinarum meditationem significamus, illum animi statum, in quo homo totum se imbutum amore Dei putat [17])? Hanc theologiam mysticam jam

---

10) Liebner, Hugo von St. Victor. Lpz. 1832 p. 232. — 11) Vater, Ueber Mysticismus und Protestantismus. Kgsbg. 1812. p. 8; Hagenbach, Vorll. III. p. 320; cf. Hagenbach, Enzyklopädie. 3. Aufl. 1851. p. 83. not. 7; Hossbach, Spener. I. p. 308; II, 304; accuratius de hac re his diebus disputavit Ullmannus, „das Wesen des Christenthums u. d. Mystik" in theol. Stud. u. Krit. 1852. Hft. 3. p. 559. 570. — 12) Liebner. p. 239. — 13) Hagenbach, Vorless. III. p. 319; Ullmann. p. 551. — 14) Fritzsche, über Mysticismus u. Pietismus. Halle 1832. p. 43. — 15) Liebner, 232; cf. Helfferich, die christl. Mystik . . Gotha 1842. I. p. 10. — 16) Liebner. p. 223. — 17) Hagenbach, Vorless. IV, 353

inter Christi discipulos invenimus; tum Johannem apostolum primum mysticum christianum nominemus licet; in ejus enim scriptis meditationes illas et orationes de communione hominis cum Deo legimus, quibus quidem saepissime sententiae nimis degeneratae nisae sunt; atque hoc sensu Johannis theologiam jure appellari arbitramur mysticam [18]). Adversariis nostris unum alterumve locum suavissimum ex tractatu „de la mysticité“ haustum propositurі sumus, laudibus, quas Hagenbachius eidem tribuit [19]), plane assentientes: „il n'y a de mystères chez eux (les mystiques) que ceux du sentiment appliqués à la religion“. . . „des mystiques c'est-à-dire des hommes, qui faisaient de la religion un amour et la mêlaient à toutes leurs pensées comme à toutes leurs actions“. . . . „le sentiment religieux, qui est la base de toute la doctrine des mystiques, consiste dans une paix intérieure, pleine de vie“ [20]).

Mystica religionis forma, ut quae alii dixerint omittamus [21]), nihil aliud est, nisi ipsa religio, nullo alio animi affectu interposito [22]), quae contemplationi et confirmationi argumentis dialecticae munitae est opposita [23]). In eo consistit theologia mystica, quod homo cum intimo animo ad Deum et Christum sese applicare studet, quod profundissimo sensu cupit, ut magnitudinem Dei sapiat, auctoritate rationis minime repudiata. Quod nemini crimini vertere possis, quoniam multis novi testamenti locis hoc tamquam summum doctrinae statuitur. Haud raro quidem homo hanc conjunctionem cum Deo ita vult intelligere, ut animum humanum in Dei naturam prorsus transire putet, qua re hominis natura exsistere desinere debet [24]); quam quidem contemplationem merito respui censemus. Haec enim mysticae contemplationi est propria sententia, ut homo ad Dei amorem summum ac maximum se applicet, atque ex amore ejus speret, Deum hominis miseriturum esse ipsique omnia peccata ignoturum, immo potius animos hominum secum ipso conjuncturum.

Mystica contemplatio ad duplicem partem pertinet; aut ad cognoscendas res aut ad sentiendas percipiendasque vim suam exercet. Ex qua, si ad cognitionem sese convertit, maximas degenerationes proficisci posse per se patet. Etenim si natura religionis, quae juxta occulta et secreta elementa revera aperta in se habet, de industria pro magno mysterio habetur, quod explorare et explicare summum est consilium, mysticismus theo-

---

18) Reuss, die Johann. Theologie in Reuss u. Cunitz Beitr. zu den Theol. Wiss. Bd. I. Ausg. 2. Jena 1851. 8. p. 6. — 19) Hagenbach, Enzyklop. p. 92. — 20) cf. Mad. de Staël, oeuvr. compl. XI. (de l'Allemagne tom. II.) Paris 1820. 8. p. 454. — 21) Fritzsche. p. 12; Helfferich. I. p. 110. — 22) Hagenbach, Enzyklop. p. 83. — 23) Reuss. p. 7. — 24) Helfferich. I, p. 338.

reticus nascitur, theosophia [25]), quam vocant, quae quidem saepe ad sceleratam improbitatem perduxit. Cui considerandi rationi proprium est, res theologicas et naturales confundere [26]), abstruse perscrutari et insolenter simulare peculiares divinas revelationes, quibus homo theosophicus Deum, mundum et hominis naturam, quomodo se attingant, cognoscere se dictitat. Deum et mundum confundi paene semper est finis talis cogitandi modi; huic pantheismo deditum videmus Paracelsum [27]); vestigia non meliora subsequuntur Schwenkfeldius, Weigelius, Boehmius [28]), alii. Ex altera parte facile fines prudenter cogitandi egredi poteris, si mystica contemplatio tam valida fit, ut penes sensum summa imperii sit. Mysticus animae quietem expetit, quae nullis affectibus a contemplandis rebus divinis abripiatur. Qui hoc modo quietem captare student, saepe ad quietismum quem dicunt perducuntur. Ita Molinos expetiit, ut animus prorsus immotus quietusque teneretur, ut summae tranquillitati et sui ipsius oblivioni dederetur; illam esse optimam precationem, in qua nulla verba, nullae plane cogitationes inessent; animum tantopere quiescere debere, ut inter precationem ne precandi quidem memor esset [29]).

Luce clarius est, nos, si diximus Arndtium mysticis sententiis orationibusque deditum fuisse, de ejusmodi degenerationibus minime cogitasse; sed ad sinceram solam radicem spectandum esse, ex qua quidem etiam illae sint natae. Qua in re tamen reputandum est, Arndtium nullo modo ex ratione contemplandi aetatis illius egressum esse. Sana theologia mystica non id spectat, ut novum doctrinae corpus constituat, quapropter in ea partem polemicam, quae novo aedificio doctrinae omnino necessaria [30]) est, non invenimus; eadem theologia mystica, ex libris sacris novi testamenti hausta, ad cogitandi rationem contemplativam non pertinet, quoniam ea dogmatum forma, quae adest, ei sufficit, neque res apocalypticas aperire et explanare studet [31]), quo theosophi maxime delectantur.

Qua ex re etiam elucet, omnia illa doctrinae dogmata, quae non ad vitae ipsius usum attingunt, parum curari, veluti doctrinam de rebus novissimis. In Arndtianis libris vix vestigium invenimus, quo probetur, quomodo ipse de hisce rebus senserit; modo universas eas professus est. Summum mysticae religionis formationis consilium in eo consistit, ut ad vitae usum vim habeat, ut ad vitam corrigendam conferatur [32]); quod tam parum negari solet, ut multo magis tota religio concludatur et theoretico

---

25) cf. M. de Staël l. l. des philosophes religieux appelés théosophes. p. 486 — 491. — 26) Delitzsch. p. 41. — 27) Hagenbach, Vorless. III. p. 329. — 28) ib. p. 346; Hossbach, Spener. I p. 62. — 29) Hagenbach, Vorless. IV. p. 390. — 30) Reuss. p. 8. — 31) Hagenbach. III. p. 321. — 32) Ullmann p. 553.

et practico elemento confundendo [33]). Credere et agere funduntur; alterum in altero solvitur; quamobrem apud Arndtium raro praecepta moralia leguntur. Quae ubi affert, semper praeter profundam religionis cognitionem et contemplationem probat, se revera universam hominis naturam ingeniumque cognita habuisse. Qua cum mystica contemplatione rerum divinarum quomodo Arndtii sententiae cohaereant, quaeque singula dogmata ex hoc cogitandi modo prodierint, nunc fusius explanare conabimur.

II. Aptissime Arndtianae theologiae naturam describemus, verbis Arndtii ipsius utentes: „Summum et intimum theologiae est momentum: Omnem docendi et scribendi rationem eo conferendam, ut hominem intro convertat ad abyssum miseriae suae, deinde ad thesaurum gratiae Jesum Christum, intimo corde fideli reponendum . .“ [1]); alio loco legimus: „Christi animus verus non tantum in doctrina et in enucleandis et refutandis controversiis et erroribus consistit, ut multi putant, verum etiam in pietate, in emendatione vitae, in seria poenitentia ejusque fructibus, in agnitione peccati . . .“ [2]).

Ut imaginem sententiarum principiorumque Arndtianorum [3]) obiter depingamus aptum nobis videtur, non solum intra fines quattuor illorum librorum nos continere, verum etiam eis singulis tractatibus uti fontibus, quos jam mature arctissime cum illis libris cohaerere judicatos esse attulimus. Praeterea nobis auxilietur libellus precationum, qui inscribitur „Paradiesgärtlein“; reliqua Arndtii scripta vix necessaria videntur.

Arndtium libros suos inscripsisse „de vero Christianismo“ nemo vituperabit; praeterea libellos inscripsit: „Paradiesgärtlein“, „Geistliche Seelenarzenei“; aliis precationibus et orationibus nomen indidit: „Haus- und Herzkirche, wie das Reich Gottes in uns zu bauen“, aliis „Geistliches Brodkörblein“; quorum librorum tituli nobis jam demonstrant, auctorem talibus locutionibus symbolicis valde delectari, quod apud omnes mysticos acceptum fuisse et usitatum constat. Ita habemus libros, qui inscribuntur: „vom Schloss der Seelen“, „von vierundzwanzig güldenen Harfen“, „köstliche evangelische Perle zu vollkommener Ausschmückung der Braut Christi“ [4]); atque etiam nostris temporibus tales significationes multis sunt pergratae. Etiam aliis locutionibus Arndtius ad dicendi rationem mysticorum sese ad-

---

33) Reuss. p. 9. — 1) Arndt. ad Gerhard. cf. apol. Arndt. apud Rambach. III. p. 1026 b. — 2) Arndt. ad Mentzer. 23. Oct. 1620. ibid. p. 1037b. — 3) Commentationem „Ueber den Geist der Arndtischen Theologie“ a Pahlio conscriptam (Tzschirner, Memorabil. III. p. 1.) non accepimus; conferantur perpauca, quae ab eodem auctore allata inveniuntur apud Ersch u. Gruber, Allg. Enzykl. V. s. v.: Joh. Arndt. p. 375. — 4) Arnold, Myst. Theol. p. 379; 466.

junxit, et quamquam fere semper biblia sacra pro suis loquendi formulis auctorem habet, tamen saepius repetendo movetur animus magno gaudio. Ita saepius verbis occurrimus veluti: „tabulae cordis in quibus dei manus leges exarat“ [5]), „labia Christi sunt absconditum manna, mel in favo“ [6]); Christus ipse nominatur: „flos noster paradisi“ [7]). Nec raro Arndtius similiter loquitur de vestimento salutis, de toga justitiae [8]), qua tamen in re reputandum nobis est, Arndtium ejusmodi orationibus usum non esse, quia cum eis mysticae sententiae et cogitationes conjungi possent, sed quoniam orationis ubertate ita est permotus, ut poetico quasi impetu abreptus verba funderet. Altissime animum auctoris efflatum esse, pulcherrimi nobis testantur loci, qui quidem poetarum dicendi genere frequentia imaginum illustri exhibentur. Spiritus sanctus apud eum saepius significatur imagine lenis pluviae aut roris uberantis [9]); animam nostram oppositam omnipotentiae Dei maximoque ejus amori identidem appellat Arndtius „columbam in foraminibus petrae et in caverna maceriae“ [10]). Nec tamen omittere possumus afferre, hanc comparandi rationem nobis nimis ludibundam esse visam, quamvis libros sacros proferat scriptor auctores; praesertim quum etiam de petrae foraminibus et maceriae caverna vulnerum Christi dicat [11]). Animae tanta in miseria versanti una via ad salutem offertur in precatione, quam auctor vocat „osculum pacis“ [12]); scriptor in animo habuit imaginem de spirituali conjugio animae cum Christo; ad quam imaginem ut denique adeamus, Arndtium nimis aetati suae cessisse censemus, atque nisi controversiae auctori impedimento fuissent, facile, quoniam hanc opinionem de unione animae cum Deo et Christo maximis laudibus sustulit, si animi propensioni lubentius esset obsecutus, justas in doctrinam suam dubitationes excitasset; quum, quomodo hanc doctrinam ejusque imaginem professus sit, Arndtium fanaticorum opiniones perstrinxisse postea explicabimus. Mirum est, quomodo Arndtius, quamquam multae reclamationes et dubitationes eum ab hoc genere dicendi prohibere debebant, has expressiones non evitaverit, quas in libris quidem quattuor de vero Christianismo raro tantum reperies, contra saepissime et magno cum amore depictas in singulis tractatibus. Pulcherrimos tamen locos invenimus imprimis in libello Paradiesgärtlein [13]); quos nostrum quisque legendo sentiet ab animo amore christianae fidei inflammato profectos esse.

---

5) Lehr- und Trostbüchlein. cap. 9. lib. V. p. 455 b; ib. cap. 4. V. p. 442 a. Paradiesg. p. 572 b; 626 b. — 6) de unione credentium. cap. 7. V. p. 473 b; Paradiesg. p. 684 a. — 7) de unione cred. cap. 6. V. p. 471 b. — 8) Lehr- u. Trostb. c. 8. V. p. 454 b; ib. c. 6. V. p. 446 b; Parad. p. 645 b. — 9) ib. p. 626 b. — 10) de unione cred. c. 7. V. p. 473 b; Parad. p. 623 a; 576 b. — 11) Paradg. p. 641 a. — 12) ib. praef. p. 557b. — 13) Paradiesg. p. 695 a.

Arndtianas sententias omnino in capita nonnulla discernere licet, quae totam earum imaginem quasi amplecti et continere videntur; qua in re vestigia quodammodo priorum trium librorum Arndtianorum sequemur.

Universa vita christiana [14]) hac in terra nihil aliud esse debet, nisi instauratio imaginis Dei in homine; quam vitae rationem in hoc mundo inchoari necesse est, in illa vita perfici. Ut homo imaginem Dei [15]) in pectore erigat, denuo quasi nasci eum oportet; quae tamen regeneratio per mediatorem tantum fieri potest, qui in carnem venit, incarnatione et humanitate Christi [16]). Ad hoc consilium perficiendum Christus est natus et omnino necesse erat eum corpore humano indui [17]), ut homo finem, a Deo omnipotenti omnibus propositum, nancisci posset; quem quidem summum finem omnium hominum studiorum laborumque animus unione cum Deo assequitur [18]). Haec fere sunt tria fundamenta, quibus totam theologiam Arndtianam niti arbitramur.

A.) Homo a Deo creatus imaginem Dei ipsius [19]) tulit; qui quidem Deus est „omnia in omnibus", summum bonum [20]); de cujus Dei natura et virtutibus sublimes apud Arndtium invenimus descriptiones: „O clemen-„tiam majestatis ineffabilem! O consilium reparationis admirandum, et ad „omnem aeternitatem celebrandum. Unus Deus solus optimus, maximus, „o solus beatissimus, solus sapientissimus, solus omnipotens, solus aeter-„nitatem possidens" [21]). Etiam singulas numinis divini virtutes Arndtius magnis verbis affert; ita sermonem facit de omnipotentia Dei (IV, I. c. 3. p. 363b; ib. c. 5. p. 389b; c. 6. p. 394b); de aeternitate (IV, I. c. 2. p. 360a); de bonitate (III, c. 22. p. 347b); de misericordia (II, c. 8. p. 152b). Usque huc scriptori in omnibus libenter assentimur; sin autem ad unum momentum respicimus, dubitationes in animo nostro nascuntur eaeque de eis, quae Arndtius de amore Dei exposuit. Arndtius libentissimo animo contemplationibus de Dei amore indulgebat et maximis laudibus praedicabat, quae res tota Arndtianae theologiae natura efficiebatur. Sed fatendum nobis erit, fundamentum verborum non ita sincere conservatum esse, quin opiniones ad sensus pertinentes immiscerentur; quae tamen ex ore scriptoris divino loquendi spiritu incensi modo elapsae esse videntur, ita ut eas secundum orationis quietae modum metiri non debeas. Altius jam animus scriptoris protractus verba fundit haec: „cum nihil aeque nobis „largiri desiderat, atque se ipsum, idque modo sublimi ac summe genero-

---

14) De vero Christianismo I, cap. 41. p. 117b. — 15) lib. IV, II, c. 6. p. 399 b. — 16) I. c. 3. p. 10 b. — 17) II. c. 6. p. 146 a. — 18) de unione cred. c. 2. V. p. 465 b; I. c. 1. p. 6 a. — 19) de unione cr. c. 1. V. p. 463 a. — 20) IV, II. c. 2. p. 402 a. — 21) de unione cr. c. 1. V. p. 463 b; cf. I, c. 37. p. 101 b; III, c. 11. p. 331 a; II, c. 9. p. 159 a; II, c. 10. p. 162 b; cf. praeterea Paradiesg. p. 562 a.

„so; daturus etiam meliora, si se ipso aliquid melius et majus praesto es-„set. Jam cum homo Dei unicum votum sit ac desiderium“ [22]) . . . . „tanto nostri desiderio tenetur Deus, ut vel amore videatur flagrare, haud „aliter ac si ipsa divina natura citra nos consistere non possit, inque nihi-„lum sit abitura, nisi in nobis divinitatis suae abyssum manifestare liceat, „et essentiae suae exuberantem plenitudinem in nos transfundere“ [23]). Non raro de igne amoris auctor noster verba facit [24]). Contra dulcia de amore verba legimus aliis locis [25]), veluti in posteriore parte libri quarti (cap. 22 — 40.).

Judicium nostrum de ratione, qua scriptor amorem verbis depinxit, omni modo comprobabitur, quum de blando desiderio, quo animus noster erga Deum affici debet, dicemus.

Sicut Arndtius in doctrina de Deo tractanda ad fidem ecclesiasticam accurate se applicat, ita etiam de trinitate fide ecclesiae nisus sermones facit [26]); ac saepe de trinitate loquitur, quo majestatem divinae naturae magis extollat [27]).

Animus humanus ante Adami lapsum „speculum“ fuit naturae divinae, „cera“, cui effigies divina imprimitur (cf. I, c. 1. p. 4; I, c. 41. p. 118.). In tractatu de unione credentium, qui juxta multos locos miros nobiles tamen et sublimes sententias lectorum oculis offert, Arndtius dicit: „ad „imaginem suam Deus hominem condidit, hoc est vivam bonitatis, sancti-„tatis et justitiae suae effigiem et similitudinem in homine expressit, ipsum-„que operum suorum ἀποτέλεσμα perfectionem et consummationem constituit. „Ideoque in uno homine collecta est tamquam in epitomen totius creaturae „dignitas, pulchritudo, praestantia et nobilitas“ [28]). Quam quidem Dei imaginem homo perdidit ipse quum a lege divina deflecteret; quia homo contentus non erat hac imagine, sed ipse Deus esse volebat [29]), peccatum originale ortum est, qua re universa hominis natura in statum perversum delapsa est; Dei imago perdita atque satanae imago [30]) in homine erecta est. Ex permultis praeclaris locis [31]), ubi gravibus verbis omnis omnium

22) III, c. 21. p. 346 b. — 23) III, c. 2. p. 313 b; III, c. 8. p. 325 a. — 24) Paradiesg. p. 608 a; II, c. 29. p. 208 b. — 25) IV. p. II. c. 11. p. 409 a; p. I. c. 1. p. 356 b; p. II. c. 5. p. 404 a; p. II. c. 13. p. 410 b; III. c. 13. p. 334 b; cf, III. c. 11. p. 331 a; cf. III. c. 19. p. 343 a. — 26) Lehr- und Trostb. c. 6. V. p. 445 b; cf. I. c. 1. p. 4 a; I. c. 41. p. 118 a; I. c. 32. p. 89 a; I. c. 37. p. 101 b; III. c. 2. p. 313 a; III. c. 22. p. 349 a; IV. p. II. c. 6. p. 399 b; etiam singularem tractatum „de sacrosancta trinitate“ Arndtius concepit, cf. V. p. 484. — 27) II. c. 29. p. 207 b. — 28) c. I V. p. 364 a. — 29) I. c. 1. p. 5; I. c. 41. p. 119 b. — 30) I. c. 41. p. 121 b; I. c. 2. p. 7 a. — 31) I. c. 41. p. 122; I. c. 15. p. 41 a; I. c. 2. p. 6 b; I. c. 4. p. 12 b; I. c. 31. p. 86 b; II. c. 7. p. 148 b, 150 a; III. c. 21. p. 346 b; IV. p. I. c. 4. p. 377 b; praeterea multos invenies locos in lib. Paradiesg.

hominum perversio peccato originali nata describitur, unum afferamus: „hujus spiritualis lucis in regno Dei fulgentis homo naturalis ne scintillam „quidem habet, inque haereditaria hac et connata coecitate manere omnes „illos oportet, qui divinitus non illuminantur“ [32]). Qua de caussa hanc vitam saepius nominat miseram, plenissimam omnium miseriarum, ex qua quisque decedere cupere debeat, veluti II, c. 57. p. 301 a, 302 a; Paradg. 644 b; 665 b. Quamquam igitur ex Arndtii opinione naturae humanae omnia bona desunt, etiam omnis bonum exsequendi facultas desideratur, nisi Christus adjuvat; tamen sententiae cuidam vere singulari occurrimus, quam quidem etiam apud alios scriptores [33]), eidem atque auctor noster contemplandi rationi deditos, invenimus. Putat enim scintillam quandam liberi arbitrii in humana remansisse natura [34]).

B.) Jam nobis erit considerandum, qua ratione homo hunc priorem suavem statum recuperare possit. Denuo hominem nasci oportet; quod suis ipsius viribus perficere nequit. Christus igitur eum adjuvat: „Nihil enim „aliud totus est Christianismus, quam assidua spiritus lucta cum peccato „originali, ejusdemque continua per spiritum sanctum seriamque poeniten- „tiam expurgatio. Quantum enim quisque hanc naturalem ad malum pro- „pensionem mortificat, tantum indies ad imaginem Dei renovatur“ [35]). Peculiari contemplandi ratione, quam Arndtius est secutus, eo est perductus, ut tantopere renovationem hominis praedicaret, qua in re cum mysticis et suae aetatis et paullo ante vigentibus [36]) consentit. Quod auctori nostro crimini vertere omnino non possumus; nam remedia quibus Schwenkfeldius, Weigelius, Boehmius [37]) hominem denuo nasci dictitant, plane diversissima sunt ab eis, quae Arndtius proposuit. De „interna“ quidem „luce“, qua homo collustretur necesse sit, etiam Arndtius loquitur; sed nusquam legimus, eum hac luce peculiarem revelationem et illuminationem intelligere. Verba Arndtii de regeneratione excelsa sunt; divino afflatu incensus evocat: „Hinc jam patescet credo ex Deo nasci non esse opus quoddam eva- „nidum et umbratile, sed rem potius in anima vivam potentissimeque „efficacem“ [38]).

Jesus Christus, qui in carnem venit, ut infirmitatem nostram juvaret

---

32) I. c. 41. p. 123 b; cf. II. c. 5. p. 144 b. — 33) Liebner, Hugo. p. 176. 179, ubi not. 16. leges: „naturale bonum in homine per peccatum corrumpi potuit, exstingui omnino non potuit: quia vivit adhuc scintilla quaedam naturalis rationis in mente hominis“; de arca mystica II. fol. 184. col. 3. — 34) I. c. 41. p. 123 a; cf. p. 120 b; I. c. 7. p. 19 a. — 35) I. c. 41. p. 120 b. — 36) Hagenbach, Vorless. III. p. 337; 369. — 37) Delitzsch, d. naturphilos. Mysticism. p. 54; Hagenb. Vorl. III. 338; 356. — 38) I. c. 5. p. 15 a; I. c. 41. p. 117 b, 123 b; I. c. 15. p. 39 b; II. c. 5. p. 144 b; Lehr- u. Trostb. c. 1. V. p. 434 b; ib. c. 2. V. p. 436 a.

(I, c. 3. p. 10 b; II, c. 6. p. 146 a; c. 19. p. 183 b), perfecta est imago Dei patris (I, c. 1. p. 5 a; I, c. 11. p. 27 b; Paradg. 627 b, 562 a). De persona Christi ejusque natura Arndtianae sententiae pro orthodoxis sunt habendae[39]). Christi munus erat, ut mediator esset inter Deum et mundum (II, c. 2. p. 134 a; c. 13. p. 168 b); eo quod poenâ meritâ nos liberavit et peccata hominum in se recepit (Lehr- u. Trostb. c. 7. V. p. 448.) nos remissionem omnium nostrorum peccatorum vitiorumque adepti sumus (Paradg. p. 617.), eoque Jesu Christi sanguine; miseriis et passione redemptoris peccata generis humani expiata sunt (I, c. 3. p. 11 b); quam quidem passionem homo pio cum animo contemplari ex eaque doceri debet [40]). In Christo homini exemplar obedientiae est propositum, qui „quum rex esset, regibus, pote- „statibus, matri pauperculae tutorique patris vices explenti fuit subjectus" [41]). Quamobrem Arndtius redemptorem saepe nominat exemplar et normam vitae nostrae [42]), salva vera Christi divinitate; quo probatur eum cum Socino omnino non esse comparandum. Qua de caussa difficile est intellectu, quomodo postea, tot claris locis neglectis, auctori nostro crimini verti potuerit, doctrinae Socinianorum eum adhaesisse. Omnes omnino mystici in eo versantur periculo, ut vitam Christi imitandam nobis propositam nimis efferant [43]); qua tamen in re id nobis animadvertendum videtur, quod Arndtius saepissime gravibus verbis confessus est, plane necesse fuisse Christum pro nobis passum esse, atque non paucos locos in libris ejus habemus, quibus hoc comprobatur [44]). Eo consilio mediator in carnem putredini obnoxiam venit, ut hominem ex statu miserrimo redimeret; in eo Deus omnibus hominibus, omnibus inquam, salutem aeternam obtulit [45]), atque qui hoc evangelium recipiunt, „praeordinati sunt ad vitam aeternam" [46]).

Homo ea sola conditione salutem adipisci potest, ut coram Deo justificatus sit; quam quidem justificationem Deus optimus maximus ex sola sua gratia nobis donare vult [47]); Christi enim justitiam nobis est imputaturus [48]), cujus merita sunt tanta, quae omnium hominum peccata operiant, (II, c. 3. p. 136; II, c. 2. p. 133 b). Hanc imputationem justitiae Christi Deum homini, quem vult reddere beatum, donare oportet, quoniam hic ex suis

---

39) II. c. 10. p. 164 a; II. c. 6. p. 146 b; II. c. 52. p. 282 b; de incarnat. V. p. 486 a; Paradg. p. 595 b. — 40) III. c. 23. p. 350 a. — 41) II. c. 13. p. 169 a; cf. Paradiesg. p. 580 b; 581 b. — 42) I. c. 3. p. 11 a; I. c. 14. p. 37 b; I. c. 11. p. 27 b; II. c. 56. p. 297 a. — 43) Helfferich l. l. I, p. 256. — 44) I. c. 3. p. 10 a, 11 a; I. c. 13. p. 35 b; II. c. 6. p. 146 a. — 45) IV. p. I. c. 4. p. 384 a; cf. Paradg. p. 689 a, 608 b. — 46) I c. 38. p. 107 b. — 47) „Et sane si homo tantum lacrymarum effunderet, quantum aquae in mari continetur, non minimae tamen coelestis consolationis pretium exsolveret. Est enim mera puraque gratia Dei." I. c. 19. p. 51 a; cf. I. c. 5. p. 15 b; I. c. 8. p. 23 b; I. c. 37. p. 105 a; Paradg. p. 635 a; ita Arndt. ad Pisc. — 48) I. c. 4. p. 13 a.

ipsius viribus omnino nihil nisi peccatum efficere potest [49]); opera eum justificare non possunt, quippe quae mera sint peccata. In ejusmodi orationibus scriptorem fidem maxime efferre, qua sola justificemur, facile intelligemus.

Fides et amor homini sunt virtutes necessariae ad animum renovandum. Quam tamen fidem nos justificantem [50]) praecedant necesse est vera contritio [51]) et cognitio peccatorum [52]), quibus neglectis homo libere nequit adspicere ad Deum eique et Christo amorem suum totum offerre. Qui fidem habet, toto amore ad Deum et Christum sese applicat; nonne Christo, qui omnia pro nobis passus est atque meritus, libenter animum totum deferamus [53])? Quae Arndtius de tali amore explicat, revera sunt dulcia grandiaque [54]). Tanto amore hominis animus affectus esse debet, ut ex eo reliquae omnes virtutes proficiscantur; quare merito omnem vitam christianam Arndtium complecti in fide et amore diximus (I, c. 30. p. 82.). Aequo modo artes, scientiae, divitiae, pulchritudo, eloquentia, sapientia, mens sana Deo placere non possunt, nisi ex amore profecta sunt [55]). Ex qua sublimi amoris contemplatione, quem amorem ipsum Arndtius nominat vitam aeternam [56]), perspectu non est difficile nos in libris illis pauca tantum praecepta adhortationesque invenire, quae ad eam spectent rationem, qua erga alios agamus; quamvis rarae, tamen propositae eae sunt, quae animos nostros oblectent suavitate [57]).

Etiam precationem ex amore nasci dicit Arndtius: quo flagrantior caritas, eo validior precatio [58]). Quamobrem breviter hoc loco auctoris de precatione sententias perlustremur. — Arndtius in eo bono fundamento nisus est, ut animum hominis vera fide et sacris bibliis verecunde legendis altius putaret tolli, omnem hominis conscientiam ad sublimem sentiendi statum ascendere, qui in piis precationibus cernatur. Legimus igitur: „in corde „nostro et anima vera est schola spiritus sancti, vera officina sacrosanctae „trinitatis, verum templum Dei, verum denique oratorium in spiritu ac ve„ritate [59])," quibus verbis sententia illa Christi (Joh. 4, 23.) de recta ad

---

49) I, c. 34. p. 91 b; I. praef. p. 3 a; II, c. 1. p. 127 b; III, c. 20. p. 344 b. — 50) cf. de tota re Arndtii praef. in lib. I, p. 3; I, c. 3. p. 9 a; I, c. 5. p. 14 b; Lehr- u. Trostb. c. 8. V. p. 451 a; II, c. 6. p. 147b; III, c. 9. p. 327a. — 51) „Die wahre Busse ist nicht ein Maulgeschwätz, so wenig als der wahre Glaube." Arndt. ad amicum quendam. 4. Mai 1620. cf. Rambach III. p. 614 a. — 52) Lehr- u. Trostb. c. 7. V. 448 b; I, c. 11. p. 29 b; I, c. 4. p. 12 a; II, c. 8. p. 152 a. — 53) I, c. 8. p. 22 a; II, c. 20. p. 186 a; III, c. 13. p. 333 a; III, c. 14. p. 338 a; I, c. 18. p. 48 b; cf. Liebner, Hugo. p. 343. — 54) II, c. 24. p. 194. — 55) I, praef. p. 2 b; II, c. 12. p. 167 a; I, c. 24. p. 66 a; rep. apol. VI. p. 504 b. — 56) I, c. 32. p. 89 a; Par. p. 601 a. — 57) I, c. 40. p. 113; c. 42. p. 125. cf. Liebner. p. 279. — 58) Lehr- u. Trostb. c. 10. V. p. 459 a; cf. I. c. 24. p. 66 b. — 59) III. praef. 5. p. 308 b.

Deum precandi ratione substrata est. Auctor igitur noster eam tantum precationem pro vera habet, quae ex hoc animi habitu Deo offeratur. Quamquam Arndtius quum de precatione loqueretur, Weigelii sententias secutus esse videtur, tamen, quamvis utriusque sententiae primo aspectu paene eaedem videantur esse, jam fundamenta, ex quibus processerunt, plane sunt diversissima. Uterque in precando spiritum sanctum in homine ipso loqui putabat; quam quidem opinionem minime aspernabere, si ita intelliges, ut spiritus sanctus non ex peculiari revelatione Dei in homine loquatur, sed a fide et sacra scriptura proficiscatur. Weigelius autem singularibus revelationibus divinis gloriabatur [60]. Apud Arndtium tres precandi gradus ita sunt intelligendi, ut varii doctrinam christianam cognoscendi status significentur, quod etiam Weigelius contendit; sed Arndtius, quod Weigelius docuit, nullo loco dixit, hominem ad summum precationis gradum peculiari tantum Dei revelatione posse ascendere. Si hoc modo precationem contemplamur, animo nostro obversantur arcanae illae tres viae ad Dei sapientiam ducentes, quas mystici veteres docuerunt, viam purgationis, illuminationis, communionis [61]. Praeter alios locos duobus maxime edocemur de sententiis, quas ipse de precatione foverit; in priore disserit de triplici genere precandi, de orali, interno, supernaturali; in posteriore quinque precationis gradus commemorat [62], quorum quintum genus supernaturale aequiparat: . . . „atque per hanc internam orationem deducimur ad supernaturalem, quae sit, Taulero teste, per veram unionem cum Deo; quando noster spiritus creatus colliquescit et submergitur in spiritu Dei increato [63].“ Si igitur Arndtius tertium et perfectissimum orationis gradum ita intellexisset, ut animus noster cum Deo conjungeretur, qua re in Dei naturam et essentiam transgrederetur et dissolveretur, quin imo in Deo liquefieret, ita ut animi nostri persona interiret tota; sententia ejus prorsus esset respuenda, quae ad somnia fanatica et quidem Quietistarum, quos vocant, perduceret. Sed verba „spiritus noster colliquescit in Dei spiritu“ hoc uno tantum loco eo quidem sensu inveniuntur, atque ex Tauleri scriptis desumpta sunt; in aliis locis, ubi de unione animi nostri cum Deo disserit, non de eo loquitur scriptor, quod persona animi humani intereat; quapropter non habemus caussam Arndtium errorum fanaticorum criminandi, quamquam concedimus in magno eum periculo versatum esse, ut in ejusmodi errores incideret. Ipsi haec cogitandi ratio non satis perspicua fuisse videtur, quum de interna oratione verbis tam communibus utatur, quae ad omnia tria precandi genera adhiberi possint. Multis locis scriptor inter duas tantum precationis

---

60) Hagenbach, Vorles. III. p. 341. — 61) Gottfr. Arnold, Historie u. Beschreib. d. myst. Theologie. p. 113. — 62) Paradg. praef. p. 558. — 63) II. c. 20. p. 185.

rationes discernit, inter orationem externam et internam, quae ex corde proficiscitur [64]). Ad internam cordis orationem homo ea conditione pervenit, ne animus voluptate abreptus vinciatur; ad tantam pietatem sibi comparandam omnia externa, quae sinceram mentem perturbare possint, evitari debent [65]). Hunc animi statum auctor noster ex suo more designat sabbatum animae; itaque cordis sabbatum internum postulat [66]).

Quaecunque igitur ad mores et animi statum hominum spectant, uno praecepto conjuncta sunt amoris, ex fide orti. Scriptorem in componendis verbis varias vias esse secutum, non miramur, quum ex ejus animo cogitationes tam uberes processerint, ut cum oratione quasi pugnent; ita ex nobis poscit et fidem caritatemque, et fidem Deique verba, et fidem spiritumque sanctum [67]).

Restat, ut de sententiis Arndtianis, quae spectant ad originem et incrementum fidei, pauca addamus. Fides valida et efficax in homine non ex suis ipsius viribus nascitur; „per verbum Dei et spiritum sanctum in cor„dibus nostris velut semen Dei seritur [68]).“ Ad quam efficacem fidem augendam firmandamque homini data sunt Dei verbum et sacramenta [69]), quae et ad cognoscenda peccata nos ducunt et ad poenitentiam contritionemque (II. c. 9. p. 156 b); etiam hic auctor variat in mediis enumerandis, quum tertium addit precationem (II. c. 51. p. 281 b); ita satis explicatur, cur Arndtius tantopere orationem urgeat. Gravissima verba [70]), quibus omnes illas rejicit criminationes, se sacris bibliis tenuem tantum tribuisse auctoritatem, ea sunt, quae affert „verbum Dei est velut semen novae creaturae; „hoc verbum producit fidem, fides autem innitens verbo, in illo Jesum „Christum una cum spiritu sancto apprehendit“ (I. c. 3. p. 9 b; cf. Lehr- u. Trostb. c. 4. V. p. 440 b).

Omnino nullum discrimen statuendum est inter Arndtium et mysticos, qui eum praecedunt, si ad rationem bibliorum sacrorum explicandorum respicimus. Arndtium singulas expressiones et imagines, quae aut in psalmis aut in prophetarum libris semel inveniuntur, saepius adhibuisse constat; totum vetus testamentum pro typo novi habuit eaque ratione, ut veritatem historicam rerum gestarum nullo modo impugnaret, ut haec omnia ea de caussa facta esse putaret, ut exemplar Christi ejusque ecclesiae essent [71]).

---

64) III. c. 19. p. 343 a; cf. Parad. praef. p. 559 a. — 65) I. c. 36. p. 98 b; III. praef. p. 308 b. — 66) III. c. 1. p. 310; III. c. 2. p. 313 a; III. c. 10. p. 330 a; III. c. 18. p. 341 b. 67) IV. pars I. c. 3. p. 368 a. — 68) I, c. 5. p. 16 a; II. c. 3. p. 136 a. — 69) de unione credentium c. 3. V. p. 467 a; cf. Arndtii „Kurzes Bedenken über Weigels dial. de Christianismo“ Ramb. III. p. 590a. — 70) Lehr- u. Trostb. c. 4. V. p. 439 b; II, c. 48. p. 271 a; repet. apolog. VI. p. 496 a. — 71) Arndtius in dedicatione psalterio praefixa (Rambach. Tom. II.).

Deum precandi ratione substrata est. Auctor igitur noster eam tantum precationem pro vera habet, quae ex hoc animi habitu Deo offeratur. Quamquam Arndtius quum de precatione loqueretur, Weigelii sententias secutus esse videtur, tamen, quamvis utriusque sententiae primo aspectu paene eaedem videantur esse, jam fundamenta, ex quibus processerunt, plane sunt diversissima. Uterque in precando spiritum sanctum in homine ipso loqui putabat; quam quidem opinionem minime aspernabere, si ita intelliges, ut spiritus sanctus non ex peculiari revelatione Dei in homine loquatur, sed a fide et sacra scriptura proficiscatur. Weigelius autem singularibus revelationibus divinis gloriabatur [60]). Apud Arndtium tres precandi gradus ita sunt intelligendi, ut varii doctrinam christianam cognoscendi status significentur, quod etiam Weigelius contendit; sed Arndtius, quod Weigelius docuit, nullo loco dixit, hominem ad summum precationis gradum peculiari tantum Dei revelatione posse ascendere. Si hoc modo precationem contemplamur, animo nostro obversantur arcanae illae tres viae ad Dei sapientiam ducentes, quas mystici veteres docuerunt, viam purgationis, illuminationis, communionis [61]). Praeter alios locos duobus maxime edocemur de sententiis, quas ipse de precatione foverit; in priore disserit de triplici genere precandi, de orali, interno, supernaturali; in posteriore quinque precationis gradus commemorat [62]), quorum quintum genus supernaturale aequiparat: . . . „atque per hanc internam orationem deducimur ad supernaturalem, quae sit, Taulero teste, per veram unionem cum Deo; quando noster spiritus creatus colliquescit et submergitur in spiritu Dei increato [63]).“ Si igitur Arndtius tertium et perfectissimum orationis gradum ita intellexisset, ut animus noster cum Deo conjungeretur, qua re in Dei naturam et essentiam transgrederetur et dissolveretur, quin imo in Deo liquefieret, ita ut animi nostri persona interiret tota; sententia ejus prorsus esset respuenda, quae ad somnia fanatica et quidem Quietistarum, quos vocant, perduceret. Sed verba „spiritus noster colliquescit in Dei spiritu“ hoc uno tantum loco eo quidem sensu inveniuntur, atque ex Tauleri scriptis desumpta sunt; in aliis locis, ubi de unione animi nostri cum Deo disserit, non de eo loquitur scriptor, quod persona animi humani intereat; quapropter non habemus caussam Arndtium errorum fanaticorum criminandi, quamquam concedimus in magno eum periculo versatum esse, ut in ejusmodi errores incideret. Ipsi haec cogitandi ratio non satis perspicua fuisse videtur, quum de interna oratione verbis tam communibus utatur, quae ad omnia tria precandi genera adhiberi possint. Multis locis scriptor inter duas tantum precationis

---

60) Hagenbach, Vorles. III. p. 341. — 61) Gottfr. Arnold, Historie u. Beschreib. d. myst. Theologie. p. 113. — 62) Paradg. praef. p. 558. — 63) II. c. 20. p. 185.

rationes discernit, inter orationem externam et internam, quae ex corde proficiscitur [64]). Ad internam cordis orationem homo ea conditione pervenit, ne animus voluptate abreptus vinciatur; ad tantam pietatem sibi comparandam omnia externa, quae sinceram mentem perturbare possint, evitari debent [65]). Hunc animi statum auctor noster ex suo more designat sabbatum animae; itaque cordis sabbatum internum postulat [66]).

Quaecunque igitur ad mores et animi statum hominum spectant, uno praecepto conjuncta sunt amoris, ex fide orti. Scriptorem in componendis verbis varias vias esse secutum, non miramur, quum ex ejus animo cogitationes tam uberes processerint, ut cum oratione quasi pugnent; ita ex nobis poscit et fidem caritatemque, et fidem Deique verba, et fidem spiritumque sanctum [67]).

Restat, ut de sententiis Arndtianis, quae spectant ad originem et incrementum fidei, pauca addamus. Fides valida et efficax in homine non ex suis ipsius viribus nascitur; „per verbum Dei et spiritum sanctum in cor„dibus nostris velut semen Dei seritur [68]).“ Ad quam efficacem fidem augendam firmandamque homini data sunt Dei verbum et sacramenta [69]), quae et ad cognoscenda peccata nos ducunt et ad poenitentiam contritionemque (II. c. 9. p. 156 b); etiam hic auctor variat in mediis enumerandis, quum tertium addit precationem (II. c. 51. p. 281 b); ita satis explicatur, cur Arndtius tantopere orationem urgeat. Gravissima verba [70]), quibus omnes illas rejicit criminationes, se sacris bibliis tenuem tantum tribuisse auctoritatem, ea sunt, quae affert „verbum Dei est velut semen novae creaturae; „hoc verbum producit fidem, fides autem innitens verbo, in illo Jesum „Christum una cum spiritu sancto apprehendit“ (I. c. 3. p. 9 b; cf. Lehr- u. Trostb. c. 4. V. p. 440 b).

Omnino nullum discrimen statuendum est inter Arndtium et mysticos, qui eum praecedunt, si ad rationem bibliorum sacrorum explicandorum respicimus. Arndtium singulas expressiones et imagines, quae aut in psalmis aut in prophetarum libris semel inveniuntur, saepius adhibuisse constat; totum vetus testamentum pro typo novi habuit eaque ratione, ut veritatem historicam rerum gestarum nullo modo impugnaret, ut haec omnia ea de caussa facta esse putaret, ut exemplar Christi ejusque ecclesiae essent [71]).

[64]) III. c. 19. p. 343 a; cf. Parad. praef. p. 559 a. — [65]) I. c. 36. p. 98 b; III. praef. p. 308 b. — [66]) III. c. 1. p. 310; III. c. 2. p. 313 a; III. c. 10. p. 330 a; III. c. 18. p. 341 b. [67]) IV. pars I. c. 3. p. 368 a. — [68]) I, c. 5. p. 16 a; II. c. 3. p. 136 a. — [69]) de unione credentium c. 3. V. p. 467 a; cf. Arndtii „Kurzes Bedenken über Weigels dial. de Christianismo“ Ramb. III. p. 590 a. — [70]) Lehr- u. Trostb. c. 4. V. p. 439 b; II, c. 48. p. 271 a; repet. apolog. VI. p. 496 a. — [71]) Arndtius in dedicatione psalterio praefixa (Rambach. Tom. II.).

Deum precandi ratione substrata est. Auctor igitur noster eam tantum precationem pro vera habet, quae ex hoc animi habitu Deo offeratur. Quamquam Arndtius quum de precatione loqueretur, Weigelii sententias secutus esse videtur, tamen, quamvis utriusque sententiae primo aspectu paene eaedem videantur esse, jam fundamenta, ex quibus processerunt, plane sunt diversissima. Uterque in precando spiritum sanctum in homine ipso loqui putabat; quam quidem opinionem minime aspernabere, si ita intelliges, ut spiritus sanctus non ex peculiari revelatione Dei in homine loquatur, sed a fide et sacra scriptura proficiscatur. Weigelius autem singularibus revelationibus divinis gloriabatur [60]). Apud Arndtium tres precandi gradus ita sunt intelligendi, ut varii doctrinam christianam cognoscendi status significentur, quod etiam Weigelius contendit; sed Arndtius, quod Weigelius docuit, nullo loco dixit, hominem ad summum precationis gradum peculiari tantum Dei revelatione posse ascendere. Si hoc modo precationem contemplamur, animo nostro obversantur arcanae illae tres viae ad Dei sapientiam ducentes, quas mystici veteres docuerunt, viam purgationis, illuminationis, communionis [61]). Praeter alios locos duobus maxime edocemur de sententiis, quas ipse de precatione foverit; in priore disserit de triplici genere precandi, de orali, interno, supernaturali; in posteriore quinque precationis gradus commemorat [62]), quorum quintum genus supernaturale aequiparat: . . . „atque per hanc internam orationem deducimur ad supernaturalem, quae sit, Taulero teste, per veram unionem cum Deo; quando noster spiritus creatus colliquescit et submergitur in spiritu Dei increato [63]).“ Si igitur Arndtius tertium et perfectissimum orationis gradum ita intellexisset, ut animus noster cum Deo conjungeretur, qua re in Dei naturam et essentiam transgrederetur et dissolveretur, quin imo in Deo liquefieret, ita ut animi nostri persona interiret tota; sententia ejus prorsus esset respuenda, quae ad somnia fanatica et quidem Quietistarum, quos vocant, perduceret. Sed verba „spiritus noster colliquescit in Dei spiritu“ hoc uno tantum loco eo quidem sensu inveniuntur, atque ex Tauleri scriptis desumpta sunt; in aliis locis, ubi de unione animi nostri cum Deo disserit, non de eo loquitur scriptor, quod persona animi humani intereat; quapropter non habemus caussam Arndtium errorum fanaticorum criminandi, quamquam concedimus in magno eum periculo versatum esse, ut in ejusmodi errores incideret. Ipsi haec cogitandi ratio non satis perspicua fuisse videtur, quum de interna oratione verbis tam communibus utatur, quae ad omnia tria precandi genera adhiberi possint. Multis locis scriptor inter duas tantum precationis

---

60) Hagenbach, Vorles. III. p. 341. — 61) Gottfr. Arnold, Historie u. Beschreib. d. myst. Theologie. p. 113. — 62) Paradg. praef. p. 558. — 63) II. c. 20. p. 185.

rationes discernit, inter orationem externam et internam, quae ex corde proficiscitur [64]). Ad internam cordis orationem homo ea conditione pervenit, ne animus voluptate abreptus vinciatur; ad tantam pietatem sibi comparandam omnia externa, quae sinceram mentem perturbare possint, evitari debent [65]). Hunc animi statum auctor noster ex suo more designat sabbatum animae; itaque cordis sabbatum internum postulat [66]).

Quaecunque igitur ad mores et animi statum hominum spectant, uno praecepto conjuncta sunt amoris, ex fide orti. Scriptorem in componendis verbis varias vias esse secutum, non miramur, quum ex ejus animo cogitationes tam uberes processerint, ut cum oratione quasi pugnent; ita ex nobis poscit et fidem caritatemque, et fidem Deique verba, et fidem spiritumque sanctum [67]).

Restat, ut de sententiis Arndtianis, quae spectant ad originem et incrementum fidei, pauca addamus. Fides valida et efficax in homine non ex suis ipsius viribus nascitur; „per verbum Dei et spiritum sanctum in cor„dibus nostris velut semen Dei seritur [68]).“ Ad quam efficacem fidem augendam firmandamque homini data sunt Dei verbum et sacramenta [69]), quae et ad cognoscenda peccata nos ducunt et ad poenitentiam contritionemque (II. c. 9. p. 156 b); etiam hic auctor variat in mediis enumerandis, quum tertium addit precationem (II. c. 51. p. 281 b); ita satis explicatur, cur Arndtius tantopere orationem urgeat. Gravissima verba [70]), quibus omnes illas rejicit criminationes, se sacris bibliis tenuem tantum tribuisse auctoritatem, ea sunt, quae affert „verbum Dei est velut semen novae creaturae; „hoc verbum producit fidem, fides autem innitens verbo, in illo Jesum „Christum una cum spiritu sancto apprehendit“ (I. c. 3. p. 9 b; cf. Lehr- u. Trostb. c. 4. V. p. 440 b).

Omnino nullum discrimen statuendum est inter Arndtium et mysticos, qui eum praecedunt, si ad rationem bibliorum sacrorum explicandorum respicimus. Arndtium singulas expressiones et imagines, quae aut in psalmis aut in prophetarum libris semel inveniuntur, saepius adhibuisse constat; totum vetus testamentum pro typo novi habuit eaque ratione, ut veritatem historicam rerum gestarum nullo modo impugnaret, ut haec omnia ea de caussa facta esse putaret, ut exemplar Christi ejusque ecclesiae essent [71]).

---

64) III. c. 19. p. 343 a; cf. Parad. praef. p. 559 a. — 65) I. c. 36. p. 98 b; III. praef. p. 308 b. — 66) III. c. 1. p. 310; III. c. 2. p. 313 a; III. c. 10. p. 330 a; III. c. 18. p. 341 b. 67) IV. pars I. c. 3. p. 368 a. — 68) I, c. 5. p. 16 a; II. c. 3. p. 136 a. — 69) de unione credentium c. 3. V. p. 467 a; cf. Arndtii „Kurzes Bedenken über Weigels dial. de Christianismo“ Ramb. III. p. 590 a. — 70) Lehr- u. Trostb. c. 4. V. p. 439 b; II, c. 48. p. 271 a; repet. apolog. VI. p. 496 a. — 71) Arndtius in dedicatione psalterio praefixa (Rambach. Tom. II.).

Deum precandi ratione substrata est. Auctor igitur noster eam tantum precationem pro vera habet, quae ex hoc animi habitu Deo offeratur. Quamquam Arndtius quum de precatione loqueretur, Weigelii sententias secutus esse videtur, tamen, quamvis utriusque sententiae primo aspectu paene eaedem videantur esse, jam fundamenta, ex quibus processerunt, plane sunt diversissima. Uterque in precando spiritum sanctum in homine ipso loqui putabat; quam quidem opinionem minime aspernabere, si ita intelliges, ut spiritus sanctus non ex peculiari revelatione Dei in homine loquatur, sed a fide et sacra scriptura proficiscatur. Weigelius autem singularibus revelationibus divinis gloriabatur [60]. Apud Arndtium tres precandi gradus ita sunt intelligendi, ut varii doctrinam christianam cognoscendi status significentur, quod etiam Weigelius contendit; sed Arndtius, quod Weigelius docuit, nullo loco dixit, hominem ad summum precationis gradum peculiari tantum Dei revelatione posse ascendere. Si hoc modo precationem contemplamur, animo nostro obversantur arcanae illae tres viae ad Dei sapientiam ducentes, quas mystici veteres docuerunt, viam purgationis, illuminationis, communionis [61]. Praeter alios locos duobus maxime edocemur de sententiis, quas ipse de precatione foverit; in priore disserit de triplici genere precandi, de orali, interno, supernaturali; in posteriore quinque precationis gradus commemorat [62], quorum quintum genus supernaturale aequiparat: . . . „atque per hanc internam orationem deducimur ad supernaturalem, quae sit, Taulero teste, per veram unionem cum Deo; quando noster spiritus creatus colliquescit et submergitur in spiritu Dei increato [63].“ Si igitur Arndtius tertium et perfectissimum orationis gradum ita intellexisset, ut animus noster cum Deo conjungeretur, qua re in Dei naturam et essentiam transgrederetur et dissolveretur, quin imo in Deo liquefieret, ita ut animi nostri persona interiret tota; sententia ejus prorsus esset respuenda, quae ad somnia fanatica et quidem Quietistarum, quos vocant, perduceret. Sed verba „spiritus noster colliquescit in Dei spiritu“ hoc uno tantum loco eo quidem sensu inveniuntur, atque ex Tauleri scriptis desumpta sunt; in aliis locis, ubi de unione animi nostri cum Deo disserit, non de eo loquitur scriptor, quod persona animi humani intereat; quapropter non habemus caussam Arndtium errorum fanaticorum criminandi, quamquam concedimus in magno eum periculo versatum esse, ut in ejusmodi errores incideret. Ipsi haec cogitandi ratio non satis perspicua fuisse videtur, quum de interna oratione verbis tam communibus utatur, quae ad omnia tria precandi genera adhiberi possint. Multis locis scriptor inter duas tantum precationis

---

60) Hagenbach, Vorles. III. p. 341. — 61) Gottfr. Arnold, Historie u. Beschreib. d. myst. Theologie. p. 113. — 62) Paradg. praef. p. 558. — 63) II. c. 20. p. 185.

rationes discernit, inter orationem externam et internam, quae ex corde proficiscitur [64]). Ad internam cordis orationem homo ea conditione pervenit, ne animus voluptate abreptus vinciatur; ad tantam pietatem sibi comparandam omnia externa, quae sinceram mentem perturbare possint, evitari debent [65]). Hunc animi statum auctor noster ex suo more designat sabbatum animae; itaque cordis sabbatum internum postulat [66]).

Quaecunque igitur ad mores et animi statum hominum spectant, uno praecepto conjuncta sunt amoris, ex fide orti. Scriptorem in componendis verbis varias vias esse secutum, non miramur, quum ex ejus animo cogitationes tam uberes processerint, ut cum oratione quasi pugnent; ita ex nobis poscit et fidem caritatemque, et fidem Deique verba, et fidem spiritumque sanctum [67]).

Restat, ut de sententiis Arndtianis, quae spectant ad originem et incrementum fidei, pauca addamus. Fides valida et efficax in homine non ex suis ipsius viribus nascitur; „per verbum Dei et spiritum sanctum in cor„dibus nostris velut semen Dei seritur [68]).“ Ad quam efficacem fidem augendam firmandamque homini data sunt Dei verbum et sacramenta [69]), quae et ad cognoscenda peccata nos ducunt et ad poenitentiam contritionemque (II. c. 9. p. 156 b); etiam hic auctor variat in mediis enumerandis, quum tertium addit precationem (II. c. 51. p. 281 b); ita satis explicatur, cur Arndtius tantopere orationem urgeat. Gravissima verba [70]), quibus omnes illas rejicit criminationes, se sacris bibliis tenuem tantum tribuisse auctoritatem, ea sunt, quae affert „verbum Dei est velut semen novae creaturae; „hoc verbum producit fidem, fides autem innitens verbo, in illo Jesum „Christum una cum spiritu sancto apprehendit“ (I. c. 3. p. 9 b; cf. Lehr- u. Trostb. c. 4. V. p. 440 b).

Omnino nullum discrimen statuendum est inter Arndtium et mysticos, qui eum praecedunt, si ad rationem bibliorum sacrorum explicandorum respicimus. Arndtium singulas expressiones et imagines, quae aut in psalmis aut in prophetarum libris semel inveniuntur, saepius adhibuisse constat; totum vetus testamentum pro typo novi habuit eaque ratione, ut veritatem historicam rerum gestarum nullo modo impugnaret, ut haec omnia ea de caussa facta esse putaret, ut exemplar Christi ejusque ecclesiae essent [71]).

---

64) III. c. 19. p. 343 a; cf. Parad. praef. p. 559 a. — 65) I. c. 36. p. 98 b; III. praef. p. 308 b. — 66) III. c. 1. p. 310; III. c. 2. p. 313 a; III. c. 10. p. 330 a; III. c. 18. p. 341 b. 67) IV. pars I. c. 3. p. 368 a. — 68) I, c. 5. p. 16 a; II. c. 3. p. 136 a. — 69) de unione credentium c. 3. V. p. 467 a; cf. Arndtii „Kurzes Bedenken über Weigels dial. de Christianismo“ Ramb. III. p. 590a. — 70) Lehr- u. Trostb. c. 4. V. p. 439 b; II, c. 48. p. 271 a; repet. apolog. VI. p. 496 a. — 71) Arndtius in dedicatione psalterio praefixa (Rambach. Tom. II.).

et nonnullae theologorum societates interrogabantur, plurimique protestantium ecclesiae theologi disputaverunt.

Anno 1618 Danielus Dilgerus, pastor Dantiscanus, libros Arndtianos, imprimisque libellum precationum „Paradiesgärtlein," ecclesiae coetui ex cathedra tamquam scripta idonea commendaverat, quae pietatem augerent. Postero solis die Joh. Corvinus, nimio ardore correptus, eandem ecclesiam exhortatus est, ut illos libros caveret. In ministerio Dantiscano de hac re dissidium ortum est, quum alteri, numero quidem pauciores, in partes Dilgeri irent, alteri contra Arndtianos libros dicerent [4]). Nihil ad rem accommodatius et aequius fuit, nisi quod Corvinus dubitationes suas probaret; quod pollicitus quidem est scripto quodam intra annum sese facturum, officio tamen male functus est. Collegae satis levis animi erant, ut eum in omnibus rebus sequerentur. Ita rixae per longum tempus diducebantur: altero Domini die Corvinus ejusque amici in scripta Arndtiana maledicta conjecerunt, altero Dilgerus, Rathmannus [5]), alii eos praedicabant. Quum Corvinus aliquando civi, quem ex cathedra turpem mendacem et vagum nebulonem (einen groben Lügner und losen Holunken) denominaverat, satisfacere nollet, atque propterea magnus inter cives tumultus exoriretur, senatus rem silentio non praetermisit: civem quidem ut turbatore murbe expulit, Corvino imperavit, ne omnino ex cathedra, neve imprimis Arndtianis libris malediceret, nisi antea incriminationes comprobasset. Jam vero miseriae adversariorum Arndtianorum patefactae sunt; quoniam eo die, quo de singulis controversiarum capitibus disputari debebat, Corvinus initio non aderat pastorum conventui; amici ejus, in quorum numero etiam Joh. Waltherus erat, qui „libros non lectos et vix limo oculo inspectos publico e suggestu papismi, „Schwenkfeldianismi et Weigelianismi arguerat et damnaverat [6])," libere profiteri coacti sunt „nec legisse se nec lecturos vel coeptos legi e manibus „seposuisse libros." Tamen in gratiam Corvini et odio fortasse ceterorum et haeresium et incommodissimarum locutionum scripta praenominata damnaverunt [7]). Quominus idem Joh. Waltherus libellum in Arndtium ederet, senatus Dantiscanus postea prohibuit, ne hoc modo dissidia denuo nascerentur [8]). Quaecunque Corvinus ad crimina sua comprobanda proferre sciebat, erat, quod enthusiastarum esse dixit, quum Arndtius in precatione vespertina oraret: „fac, ut sancti angeli in somno mihi appareant," ex quibus verbis Corvinus conclusit, Arndtium angelorum revelationes visiones-

---

[4]) Blankii epist. ad Frantzium; 29. Apr. 1620 apud Scharff. p. 102-129; cf. praeterea Hartknoch, Preussische Kirchenhistorie. Frkfrt. 1686. p. 798. — [5]) cf. Moller, Cimbria literata fol. Tom. III. p. 559. — [6]) Scharff, p. 123. — [7]) ibid. p. 126. — [8]) Gottfr. Arnold, Kirchen- u. Ketzerhist. II. p. 944 a.

que magni aestimasse [9])! Quanta iracundia et saevitia Corvinus in Arndtii libros invectus sit, ex singulis, quae nobis servatae sunt, phrasibus edocemur. Hunc pastorem non puduit in cathedra dicere, satanam Arndtio praemia persoluturum esse; ipsum non cupere, ut post hanc vitam eo perveniat, quo Arndtius moriens delapsus sit [10]). Appellavit eum haereticum improbissimum maledictisque conjecit [11]). Corvinus, qui ipse criminationes suas probare non potuerat, ea de caussa plures theologorum ordines, veluti Rostockiensem, consuluit, qui tamen judicia, qualia minime speraverat, professi sunt. Nam, ut alia testimonia pro re Arndtiana hic omittamus, hoc theologorum collegium non solum Arndtii libros, verum etiam Rathmanni scripta, de quibus dissidia haud minora exorta erant, pro orthodoxis esse habenda censuit [12]). Senatum Dantiscanum vix reprehendemus, quod postremo Corvinum munere abrogavit, quum etiam cum Rathmanno diu de auctoritate bibliorum sacrorum disputasset [13]). Quae quidem criminationes quam perversissime nonnumquam fultae sint, eo edocemur, quod vel Thomae a Kempis liber de imitatione Christi W e i g e l i a n i s m i accusatus esse dicitur [14]). Quam agendi temeritatem si reputabimus, ignoscendum nobis videbitur, Henricum Muellerum de controversia Arndtiana dixisse: „Es haben einige „Kröten ihren Gift in dieses hoch erleuchteten Mannes Schriften tragen wollen [15]).“

Hae controversiae quamquam ultra mortem scriptoris diductae sunt, tamen jam antea Arndtius ipse singulos impetus a diversis partibus pertulit. Etsi enim non ipsae haereticae doctrinae ei exprobrabantur, tamen singulae vel potius multae locutiones offenderant animos lectorum, quapropter non solum Dilgerus ille, sed etiam Mentzerus Giessensis eum exhortati sunt, ut publice se defenderet [16]). Ita Danielus Cramerus, pastor Stettinensis, in epistola ad ducem Brunsvicensem data contenderat, in libris Arndtii multos locos doctrinae Lutheranae non convenire. Dux ipse de hac re litteras ad Arndtium dedit; quibus hic duabus epistolis respondit [17]).

Acerbiores de libris Arndtianis disceptationes excepit tempus, quo libri animo quietiore perpensi sunt. Summum controversiarum caput fere annum **1630** complectitur, et sane diutius disputatum esset, nisi hominibus rixandi libidine et scribendi amore flagrantibus novae res objectae essent. Mala ex hac controversia redundantia etiam in illa aetate invenimus, ubi

---

9) S c h a r f f. p. 90. n. e. — 10) A r n o l d. II. p. 943 b. — 11) R a m b a c h. III. p. 1062 a. — 12) H a r t k n o c h. p. 842. — 13) H e n k e, Kirchengesch. 1796. III. p. 330; cf. W a l c h. I. p. 525; ib. IV, p. 577; cf. P l a n c k. l. l. p. 88. — 14) A r n o l d, II, p. 1143 a. — 15) Ita in praef. in primam edit. Luetkemanni „Harfe,“ „so aber in „der neuern A. 1674 schändlich ist ausgelassen.“ R a m b a c h. III, p. 1056 b. — 16) ib. p. 1037 a. — 17) ib. p. 1035 b.

quaestio de pietismo, quem dicunt, occasionem obtulit, ut oculi etiam ad eos, qui Spenerum antecesserunt, verterentur. Amore quodam eadem res ab initio saeculi XVIII. usque ad annum 1740 tractata esse videtur; qua tamen aetate homines minime saevitia argute subtiliterve disputandi incensi erant.

Quodammodo nostris quoque temporibus de libris Arndtianis disputatur, quamquam non de singulis Arndtii scriptis. Quaestio omnino in universos libros, ad pietatem firmandam conscriptos, se vertit, quum dubium sit, utrum ad illos antiquos recedamus, necne [18]; alterum unice pro recto habere non minus perversum videtur, quam alterum.

Libelli, qui in priore controversiarum tempore conscripti sunt, a singulis viris doctis profecti singulorum tantum sententias continebant; contra posteriores libelli, veluti Osiandri liber, quasi pro summa sententiarum omnium Arndtii adversariorum habendi sunt; nam Osiander ipse expressis verbis affert, multos viros secum in re proposita consentire. Contra librum, ab auctore M. B. F. B. eo consilio conceptum, ut non solum universae dubitationes in Arndtianos libros prolatae rejicerentur, verum etiam imprimis Corvini ejusque sociorum sententiae refutarentur, anno 1622 Jacobus Werenbergus [19], pastor Hamburgensis, scripsit vindicias ecclesiae Lutheranae, quo graves durasque expressiones et criminationes, quas auctor M. B. F. B. protulerat, redargueret [20]. Res leni animo tractata esse videtur, quoniam de hoc libello legimus: „quas (vindicias) bonae frugis plenissimas nemo „sine singulari commodo volverit [21].“ Et ipse Varenius, impiger Arndtii defensor, Werenbergi modestiam laudans commemorat [22]. Quod quidem scriptum vix in lucem prodierat, quum auctor M. B. F. B. novum libellum edidit. Haec controversia facile per longum temporis spatium diducta esset, nisi morte matura Werenbergi composita esset, aut fortasse Werenbergus adversario sponte cessisset; quod quidem ille certe numquam fecisset [23].

Gravissimus sine dubio librorum contra Arndtium editorum est Osiandri. Dr. Lucas Osiander minor natu theologiae professor et praeses academiae Tubingensis, anno 1624 [24] libellum conscripsit, cui nomen indidit: „Theo„logisches Bedenken,“ eo quidem consilio, ut homines libros illos Arndtianos caverent, quos jam multos annos divulgatos esse et falsas doctrinas disseminasse in praefatione dicit. Quamquam concedimus, Osiandrum, quum inciperet librum conscribere, bono consilio esse perductum [25], ut singulos

---

18) Hagenbach. III, p. 383. — 19) Non Werdenbergus, quod nomen nonnusquam legitur, ita apud Wernsdorfium p. 30; cf. Prüfung des Geistes Eliae Praetorii. Hamburg 1656. 8. p. 722. — 20) Ramb. III, p. 1062 a. — 21) Scharff, p. 58. — 22) Varenius, christl. Rettung. II, p. 136. — 23) Walch. V. p. 1136. — 24) In titulo legitur annus 1624; infra praefationem 10. Aug. 1623. — 25) Walch. V. p. 1143.

tantum librorum illorum locos improbaret, de qua re collega Melch. Nicolai nos certiores facit [26]), tamen profiteri debemus, nos, si titulus nobis ignotus fuisset, non divinasse, hunc librum a professore eoque theologiae conscriptum esse. Minime invenimus animum quietum, non legimus admonitiones amicas, quas ex tali homine exspectes; contra scriptor non dubitavit, expressiones simplicissimas et locutiones maxime perspicuas adoriri atque improbare, imo ut juris speciem sibi vindicaret, Osiander dimidias phrasium partes omisit, quae ipsae antecedentia explicant. Nec hac re fuit contentus adversarius; Arndtio vertit crimini sententias et doctrinas, quae in libris ejus omnino non inveniuntur. Severum quidem vitium his verbis Osiandrum commisisse profitemur, quod tamen probaturos nos esse speramus. Tantum aberat, ut vel Osiander ex cathedra orationes haberet, quibus animi auditorum ad pietatem incenderentur, ut quaestiones argutas acutasque tractaret. Quapropter miles quidam aliquando, quum Osiander in ecclesia orationem haberet, tanto ardore correptus fuisse dicitur, ut stricto gladio ad cathedrae scalam ascenderet ex Osiandroque furiose quaereret: cur non doces Dei verbum [27]) ? Quam argute Osiander libros Arndtianos tractaverit, ex eo satis apparet, quod ex una locutione sex diversas sententias haereticas elicere studet, quasi vero in quarto saeculo et quinto viveret, ubi amicus cum amico de rebus divinis loqui non poterat, quin in doctrinam quandam haereticam incideret.

Plane aliter de Arndtio Spenerus loquitur: „Was unsern werthesten „Arndt anlanget, hats bisher allen seinen Feinden daran gemangelt, ihm „nur einen erweislichen Irrthum darzuthun [28]).“

Insequenti tempore affatim de Osiandri libro abjudicatum est, et ipse collega ejus, Melch. Nicolai, postea „de Arndtianismo, inquit, paucis dico, „controversiam esse verborum, non rerum et a Luca Osiandro non tantum „in rebus, sed etiam in verbis vehementius quam res postulabat, exagi- „tatam [29]).“ Nec aliter judicat Affelmannus, theologus Rostockiensis [30]), qui nullo modo diligentibus defensoribus Arndtianorum librorum adnumerari potest, quoniam singulas phrases explicatione indigere censet: „optimum „Arndtium ab Osiandro, judico, exceptum fuisse pessime: pacificum schis- „matice: veracem mendacissime: humilem superbe, et ut verbo dicam, pium „impie. Quis non miretur insulsas et elumbes Osiandri consequentias? quis „non ejusdem commatis alia peristragula, quae ubique prominent, ut in

---

26) Wernsdorf. p. 24; cf. Caroli memorab. ecclesiast. seculi XVII. Tübing. 1697. 4. I. p. 594. — 27) Oraeus, theatr. Europ. III, durch Merian. Frkf. 1670. fol. p. 366 a. — 28) Spener's letzte Bedenken. III. p. 306. — 29) Caroli, memor. I. p. 595; cf. Walch. V. p. 1145. — 30) Affelmanni epist. ad Varenium 14. Dec. 1623. apud Scharff. p. 152.

„Aesopi asino auriculae?“ Liber Osiandri eo multum ponderis habet, quod, uti jam supra commemoravimus, sententias non unius viri continet, sed quod a multis theologis laudibus magnis elatus est; ita, ut unum tantum nominemus, Massonius quidam evocat, Arndtium pium, ingeniosum, divino spiritu afflatum omnino non fuisse [31]), qui vulgo haberetur. Mirum quidem videtur, multos theologos Osiandro assensos esse; at si reputamus, quem locum Arndtius in illa aetate tenuerit, facile intelligemus, quomodo Thummius, theologus quidam, vel Corvinum laudare potuerit, „quod Deo „clementer adjuvante hactenus laudabiliter et feliciter fecerit [32a]).“

Osiander libro ipsi duas addidit praefationes, quarum altera ad principem Wuertembergicum dedicationis loco data est, altera ad lectorem; in priore auctor probare studet, quamquam argumenta ejus malis nituntur fundamentis, in permultis locis librorum Arndtianorum veteres et novas falsas doctrinas deprehendi easque innumerabiles, quibus auctor librorum de vero Christianismo lectores a scripto et praedicato verbo Dei avocaret et in enthusiastarum revelationes monstraret, qua re omnem ordinem in universa ecclesia protestantium interire necesse sit. In altera praefatione affertur, venenum librorum Arndtianorum jam diu inter homines dimanasse nonnullosque ad falsas opiniones somniaque perduxisse [32b]); Arndtium ipsum ausum non esse, Christianam fidei doctrinam tractare, quia fidem rectam non habuerit. Praeterea Osiander expressis verbis praefatur, se nulla in ratione ipsi Arndtii personae sese oppositurum, multo potius libros solos esse tractaturum. Commentatio ipsa in octo capita divisa est, quorum unumquodque nobis probat, auctorem permagnos labores in se suscepisse, ut judicium suum fulciret, quoniam Arndtii libros summa cum diligentia perlegit; omnia autem argumenta ex praejudicata quadam opinione nata sunt, quum nullus lector aequus ea in Arndtii verbis invenire possit, quae in eis inesse vult Osiander. Primo capite Osiander de auctoribus et libris disserit, ex quibus Arndtius libros suos majore ex parte hauserit; qua tamen in re conceditur, eum nonnumquam, quamvis haud saepe, bibliis sacris uti testibus. Secundo capite sermones facit scriptor de scripto et praedicato Dei verbo, et demonstrare studet, Arndtium alterum ab altero immerito sejunxisse. Qualem fidem et spiritum Arndtius intellexerit, quibus Dei verbum in nobis ipsis

---

31) Scharff. p. 39. — 32a) ibid. p. 40., ubi laudatur Hieron. Bahr, Arndtius antipietista, Frkf. et Lips. 1712. p. 12., de quo libro disseritur in: Unschuldige Nachrichten von alten und neuen theol. Sachen, Lpz. 1712. p. 296. Ceterum Hossbachius Osiandrum et Thummium apte denominat „Klopffechter;“ cf. Andreä. p. 173; similiter judicat Planck. p. 84. — 32b) Hoburgium (Eliam Praetorium), qui initio Arndtianos libros, postea autem Schwenkfeldii aliorumque enthusiastarum scripta legerit, ad falsas sententias esse perductum, nemo Arndtio vitio vertet; cf. Reitz, Historie. III, p. 54.

vivum reddi debeat, capite tertio exponitur. Deinde Osiander ad ipsas Arndtii opiniones fanaticas transit, atque commonstrare conatur, tantum abesse, ut in libris de v. Chr. de Dei scripto et praedicato verbo dissereretur, ut internae opinatae, fanaticae, Schwenkfeldianae, Weigelianae illuminationes, visiones, revelationes verbis efferrentur. Quid de hisce Arndtianis internis illustrationibus revelationibusque sit habendum, capite quinto quaeritur. Sexto capite Arndtium accusat, de externo munere Dei verbum docendi praedicandique, de sacramentis, de scholis falsa docuisse. Tum Osiander capite septimo singulas doctrinas constituit, quas Arndtium pervertisse et in sensum papisticum, Schwenkfeldianum, Weigelianum mutasse dicit. Denique caput octavum diversas Arndtii opiniones haereticas et enthusiasticas complectitur. Exeunte libro scriptor a nonnullis dubitationibus, quae contra se moveri possint, se defendit.

Imprimis caput septimum legendo clare perspicimus, scriptorem initio quidem rem non injustam apud animum statuisse, ut singulas Arndtii locutiones sententiasque vituperando corrigeret et explicaret; nam Osiander summo cum studio ad judicium suum probandum permultos locos ex Arndtii libris laudavit, sed nimia vituperandi castigandique libidine abreptus bonum suum consilium corrupit [33]). Osiander dicere audet, Arndtium in libris suis nihil omnino aut mutasse, aut correxisse [34]); contrarium invenitur in Arndtiana praefatione in librum primum, quam posterioribus editionibus praefixit [35]); quod Osiander parum curavit, qui librum suum scripsit duodeviginti annos post editionem principem primi libri de v. Chr., quum jam permultae editiones in lucem prodissent. Immo Osiandrum summam potissimum incriminationem ex sententiis illis libri Arndtiani, quae in omnibus posterioribus editionibus a scriptore omissae erant [36]), haurire minime dubitasse, postea videbimus.

Quantam vim Osiandri liber in alios habuerit, ex magno numero concludere possumus eorum, qui dehinc et pro Arndtio et contra ejus libros scripserunt. Osiander id agere in animo habuit, ut libros illos ex hominum manibus prorsus eriperet, quamobrem et ipse librum concipere apud se statuit, qui fidelibus veram pietatem rectamque doctrinam demonstraret; quod quidem scriptum, cui nomen dedit: „Einfältiges Christenthum“ [37]), tam „simplex“ videtur fuisse, ut nos nisi titulum non cognoscamus. Adversus Osiandri libellum eodem anno eodemque fere tempore duo libri

---

33) De tota re fusius disputatur apud Fr. Arndt: Johann Arndt. p. 203-224. — 34) Osiander, Bedenken. p. 406. — 35) Ita Lüneburg 1695. p. 9; Krummacher. p. 3b. — 36) Osiander, Bed. p. 336; cf. §. 8. IV. not. 49. — 37) Walch. V. p. 1145.

auctoribus Varenio et Egardo in lucem prodierunt, atque „Varenius ita ob-„struxit illis criminatoribus, ut ausi non sint vindicias hujus expugnare [38]).“ Mediam viam ingredi voluit Georgius Rostius, qui anno 1626 librum edidit, „amica ac fraterna admonitio super controversiis de vero Christianismo „Joh. Arndtii inter Osiandrum, Varenium et Egardum.“ At potius in Osiandri partes transisse videtur, quod eo comprobatur, quod Varenius in librum illum scripsit, atque judicium, utrum Rostius adversarius an defensor Arndtii fuerit, apud multos plane est dubium [39]). In Varenii librum Rostius anno 1628 denuo scripsit libellum, cui titulum indidit: „justa ac modesta „defensio amicae ac fraternae admonitionis;“ quo quidem scripto haec controversia composita esse videtur. Rostius postulavit, ut multae locutiones in Arndtii scriptis non solum explicarentur, sed etiam tamquam falsae corrigerentur; nonnullas quidem expressiones pro tam falsis habuit, ut prorsus ejici vellet, quum corrigi non possent. Non dissimile fuisse videtur postea Wernsdorfii judicium [40]).

Denique Arndtii adversariorum numero adscribendus est Tiburtius Rango, qui hunc librum concepit: „prudentia christiana oder christliche „Klugheit, wie man mit irrigen, auch wohl mit Ketzern zu verfahren;“ cujus libri titulus tantum notus esse videtur; libellus acerbis gravibusque incriminationibus in Arndtium refertus esse dicitur, qua de caussa scriptorem non raro Osiandrum redivivum nominaverunt [41]). Ceterum narrant, Ulricam Eleonoram, Sueciae reginam, omnes criminationes a Rangone prolatas facile rejecisse et redarguisse [42]).

Qui libri posteaquam editi sunt, acerbissimae controversiae revera erant sedatae. Jam in eam aetatem venimus, ubi de singulis adversariis dicere non possumus, quum magis magisque cognoscerent viri docti, etiam obscuros locos in libris Arndtianis cum bona voluntate lectorum recte intelligi posse; sed etiam postea unus alterve nonnulla apud Arndtium vituperanda esse censuit; nam anno 1648 denuo liber ad Arndtium defendendum conscriptus est. Sed sicut his temporibus non defuerunt, qui libros Arndtianos improbarent, ita etiam in postera aetate nonnulli semper inveniuntur, qui eis libenter non utantur. „Theoph.: meritis et scriptis eminuit vir „quondam optimus, Joh. Arndtius, quem merum multi boni et rerum intel-„ligentes venerantur. D.: Atqui non minus multis displicet. Theoph.:

---

38) Speneri consil. theol. lat. III, p. 488 b. — 39) Diecmannus (Teutsche Schriften. II, p. 221) Rostium Arndtii adversariis definite adnumerat, contra Scharffius (p. 59.) et Rostium et Werenbergum tuitus est; Walchius hos libros ipse legisse non videtur, quum simpliciter utramque sententiam afferat cf. III, p. 207; V. p. 1146; cf. Ramb. III, p. 1061. — 40) Wernsdorf. p. 26. 46. — 41) Walch. III, p. 208. — 42) Walch. V. p. 1148.

„in quo nullam omnino culpam, contra vero magna in ecclesiam Christi „merita reperio [43].“

Pauca, quae de posterioribus sententiis et de re proposita dicenda sunt, allaturi sumus, postquam antea defensores Arndtii cognoverimus. Deinde nobis permittatur, ut ex omnibus, quae exposuerimus, et singulas dubitationes criminationesque in libros Arndtii prolatas constituamus, et quid de illis sit habendum, quaeramus. —

§. 6. De defensoribus Arndtii.

Optime brevissimeque criminationes collegarum Brunsvicensium in librum primum reprobatae atque refutatae sunt eo, quod Arndtius ipse paullo post tres reliquos libellos concepit. Jam antequam criminationes illae enatae sunt, in epistola ad Piscatorem data scriptor de suis doctrinis disseruerat atque ex intimo pectore professus erat, se veram ecclesiae Lutheranae doctrinam tenere; atque animo prompto formulam concordiae nomine subscripto confirmasse videtur, quoniam saepius ad eam provocat: „nihil me scripsisse „animo a vera religione Augustanae confessionis et formulae concordiae „alieno, aut studio serendi, multo minus defendendi opiniones pugnantes „cum scriptis hujus ecclesiae symbolicis, testor καρδιογνώστην . . . [1].“ Sed quum postero tempore controversiae magis magisque augerentur ex eisque imprimis Dantisci dissidium illud magnum inter ipsos pastores profectum esset, Arndtius exhortantibus amicis obsecutus est et sententias suas de singulis doctrinae momentis in singulis tractatibus professus est, ex qua ratione enati sunt: libellus de unione credentium cum Christo Jesu, alii; praeter quos libros in publicum editos nobis asservatae sunt multae epistolae, et ab Arndtio conscriptae, et ad eum datae. Ut eas epistolas omittamus, quae ante annum 1620 conceptae sunt, in quibus imprimis litterae illae Cnopii pastoris ad Arndtium datae eum maximis laudibus praedicant [2]), permagnum habemus numerum epistolarum Arndtii ad Gerhardum datarum, ad Frantzium, ad Mentzerum, quae affatim Arndtii orthodoxiam testantur [3]). Wolfgangius Frantzius, theologus Wittenbergensis, ad pastorem Dantiscanum scripsit, neque alios viros doctos, nec se in Arndtii libris vestigium ullum doctrinae haereticae invenisse [4]).

Eodem anno 1620 libri quidam de hac re conscripti sunt; veluti Dilgerus,

---

43) Andreae, Theophilus. Lips. 1706. 12. dial. II, p. 77. — 1) Gleich. p. 2. — 2) Apol. Arndt. apud Ramb. III, p. 1030 b. — 3) Geistliche Sendbriefe des Joh. Arndt, apud Ramb. III, p. 597; ib. apolog. Arndt. p. 1021. — 4) 21. März 1620: „Aegidius „Hunnius testatur, se in iis nulla Weigelianismi vestigia deprehendere; et nec ipse talem „Weigelianismum animadverti.“ Ramb. III, p. 1039 b.

gravis ille ac pius pastor Dantiscanus [5a]), postquam judicium ordinis theologorum Regiomontani nactus est [5b]), quod cum litteris, ex quibus magnam ejus pietatem cognoscimus, ad Arndtium miserat [6]), librum ad Arndtianas sententias defendendas Stettini [7]) edidit, quem inscripsit: „richtige und in „Gottes Wort wohlgegründete Lehre in den vier Büchern vom wahren „Christenthum Joh. Arndts.“ Quo scripto auctor magna quidem sermonis simplicitate, tamen acute Arndtium a doctrinae falsae criminibus tuitus esse videtur [8]). Nihilo secîus dissidium in ministerio Dantiscano auctum est. Qua de caussa optime se meriturum esse de libris Arndtianis amicus Arndtii non nominatus putavit, paullo post Arndtium mortuum librum in lucem proferens, quo omnes controversias componeret. Liber inscriptus erat: mysterium iniquitatis pseudoevangelicae, hoc est dissertatio apologetica pro doctrina beati Joh. Arndtii auctore M. B. F. B. Goslar. 1621. At oratione acerbiore ac vehementiore adversariorum animos magis excitavit, quam sedavit. Quamquam jure Arndtium ab iniquis et injustis criminationibus defendere apud animum statuit, tamen potius pacato et hilari animo inter utramque partem intercedere debebat. Infitiari omnino non possumus, nos in libro illo pulchros deprehendisse locos, qui aetatem illam aptissime designant; attamen eis assentiri cogimur, qui hoc scriptum rei Arndtianae magis obfuisse, quam profuisse dicunt [9]); praesertim quum animadvertamus, auctorem non eo fuisse contentum, ut quaestionem propositam tractaret; sed universam ecclesiam Lutheranam verbis castigat, eique varia crimina objicit, quae ex parte quidem jure in eam proferri non potuerunt. Qua re et adversarios et amicos Arndtii offendit. Num verba veluti haec: „Nostri „Neopapaei nuper Arndtium Weigelianismi et nescio cujus non sectae fautorem pronunciaverunt. Bipedes revera asini, quos nec Weigelium, nec „Arndtium legisse oportet, ut toto coelo diversa pro iisdem aut similibus „jactare non sint veriti . . . His auribus meis saepius audivi venerandum „illum senem gravissimis verbis Weigelium ob errores gravissimos et plane „inexcusabiles detestantem [10]),“ num haec, inquimus, verba animos virorum doctorum conciliare poterant? Neque igitur immerito Scharffius loquitur de maledicentia auctoris (Brelleri) [11]).

5a) Candidum theologum eum nominat Joh. Val. Andreaeus; cf. ejus Theophilus, dial. II, p. 79. — 5b) Rambach III, p. 1043. — 6) 12. Aug. 1620. ib. p. 1033. — 7) Diecmann. II, p. 215, not. 98. — 8) Varen. I, p. 31. — 9) Scharff. p. 56; Diecmann. II, p. 216. — 10) Myst. iniq. p. 96. — 11) Scharff. p. 56. not. *, Brelleri maledicentia reprehenditur; cf. ceterum §. 7. p. 59. Itaque non immerito Rambachius (III, p. 554. not. b.) loquitur de 'Αρνδιομανία Brelleri, qui haec verba scripserit: „Deus ipse, si concionari vellet, aliter non esset concionaturus, quam Arndtius.“ cf. Myster. p. 41.

Contra hunc Werenbergus librum edidit; cui novo scripto auctor M. B. F. B. alio libro adversatus est: vindiciae pro mysterio cett. Gosl. 1622. Qui quidem liber, ut animi placarentur, conceptus esse omnino non potest; nam si pastores totaque ecclesia in priore scripto nondum satis criminationum contumeliarumque perpessi essent, hoc libro [12]), in cujus titulo adversarius jam denominatur his verbis „pseudoevangelicus declamator et postillator Hamburgensis," vel acerbissimo adversario pastorum satisfactum videtur; quoniam pastores ita castigantur („werden durchgehechelt"), ut improbissimos maximeque contemnendos eos fuisse putes [13]).

Ac jure quaeris, quomodo homo, qui tamdiu magna necessitudine cum Arndtio conjunctum se fuisse dicit, nihil Arndtianae lenitatis in sese susceperit. Interea etiam nomen illius scriptoris cognitum fuit. Duos enim locos invenimus in his duobus libris, qui personam nobis et naturam scriptoris significant. In libro „myst. iniq." auctor praetereundo affert, se suis ipsius auribus Arndtium falsas Weigelii doctrinas reprobantem audivisse *); praeterea in praefatione ad librum „vindiciae pro myst." quod quidem scriptum ipsi non inspeximus, haec verba leguntur: „ajunt isti rabbini, professionis „meae non esse, quod feci. Scilicet, qui ab Arndtio filii instar amatus „fuerim; abrumpam hoc silentium, cum ea loqui potero, quae sunt indigna „silentio. At sacra tractavi ipse profanus [14])." Quum vero caussam non habeamus has res addubitandi, dicamus oportet, scriptorem illum, quem uno ore Melchiorem Brellerum nominant, revera Arndtio fuisse amicissimum, atque ipsum non fuisse pastorem, qua de caussa eisdem testibus eum pro medico [15]) habemus. Quamquam nimio studio abreptus est, tamen cum bono consilio opus adortus est; acerbis adversariorum criminationibus se ex rectis justisque finibus educi passus est.

Paullo post Osiandri liber est editus, qui quum magno cum sermonis ornatu esset conceptus, initio permultorum animos allexit; mox tamen verum a falsa specie discernebatur. Uno fere temporis momento duo libri in vulgus editi sunt, qui id sibi proposuerant, ut Arndtianos libros ab Osiandri criminationibus defenderent; tituli sunt hi: „Christliche Rettung der vier „Bücher vom wahren Christenthume Joh. Arndts durch Heinrich Varenius, „Lünebg, 1624," in duos tomos liber divisus est. Alterum scriptum in fronte fert haec verba: „Ehrenrettung Joh. Arndtens durch Paulus Egardus, „Lünebg. 1624."

---

12) Liber non minus continet, quam 944 paginas; cf. Fr. Arndt. p. 204. — 13) Diecmann, II, p. 217. — *) vid. not. 10. — 14) Rambach. III, p. 1057 a. — 15) Walch, III, p. 184. Hic Brellerus ad enthusiastarum sententias abreptus esse, sed postea ad sinceram doctrinam ecclesiae redisse dicitur; cf. Prüfung des Geistes Eliae Praetorii. praef.; p. 11. 572.

Etsi auctores concedere non poterant, Arndtium in libris suis falsas opiniones haereticasque doctrinas professum esse, tamen nonnullas orationis phrases et locutiones obscuras esse et facile in sensum falsum perverti posse, libere profitentur; quamquam has formulas, si cum antecedentibus aut subsequentibus conjungas, recte intelligi posse putant. Quum Varenius eo consilio ductus sit, ut omnibus Osiandri criminationibus responderet, easque accurate dilueret, planum est librum ejus satis amplum esse, quia singula Osiandri argumenta triplici modo a Varenio sunt tractata. Ita, quum Osiander sententiam quandam falsam improbat, Varenius exponit primo, quomodo Arndtius eam intellexerit; deinde locos ab Osiandro laudatos explicat; postremo probat ex locis illis, si recte interpreteris, haereticam sententiam scriptori objici non posse. Contra in Egardi libro res in brevius contracta est.

Uterque scriptor Osiandri sermonem per octo capita pedetentim subsequitur. Varenii liber in controversia nobis proposita multum affert lucis, atque „qui Varenium non legit, temerarius est, qui de caussa judicat, cujus „partem non audivit [16].“ Quamobrem omnibus Arndtii amicis liber carissimus fuit [17]. Ceterum judicio Wernsdorfii nullo modo assentimur, qui dicit, Varenium, ipsum Egardum eis Arndtii defensoribus esse adnumerandos, qui exaggeratione quadam peccaverint: „Varenius, scribere mihi licet, „quod res est, parum Brellero cedit, si vehementiam spectes; nec corrigi „volebat, aut emendari formulas Arndtii, quod Rostius subinde petebat, sed „solum declarari [18].“ Quum Osiandrum non pudeat, Arndtii verba saepius [19] in pejus detorquere, ut ita ex eis haeretica quaedam sententia enascatur, minimeque dubitet Arndtium nominare falsum apostolum, immo cum satana ejusque ministris comparare [20], nemo Varenio crimini vertet, quod de incriminationibus haec attulerit: „Welches nichts Anders, denn „eitel grobe erdichtete Calumnien (mitissime ut loquar) sein, die Osiander „in Ewigkeit nicht wird auf Joh. Arndt aus seinem Christenthum mit aller „Macht erzwingen oder erweisen können [21];“ aut: „Osianders Bedenken „wäre besser eine Verketzerung der vier Bücher vom wahren Christen„thume genannt [22].“

---

16) Speneri consil. theol. lat. III, p. 492 b. — 17) „Numquam illius nominis „(Varenii) animum meum subit cogitatio, quin sancti laboris simul meminerim, quo „Arndtii pretiosum opus suo restituit pretio, et a contemtu, cui non neminis iniqua „censura illud obnoxium reddiderat, vindicavit animose non minus, quam solide. Hac „opera certe illud effecit, ut quotidie pauci ex piorum numero gratias ei agant et ejus „recordationem in benedictione conservent“ cf. ib. III, p. 573 a. — 18) Wernsdorf, p. 26; cf. §. 3. p. 17. — 19) Osiander, p. 94; p. 232; p. 350. — 20) ibid. p. 143; p. 148; p. 189. — 21) Varenius. tom. II, p. 430. — 22) ibid. I, p. 685.

Libenter profitemur, singulos nimia laude rei Arndtianae paene magis obfuisse, quam profuisse; tamen quaerendum est, utrum ejusmodi laudes ex gravi tantum impetu in Arndtium enatae, an ex recta conscientia veri profectae sint. Si inter alia Cnopii testimonium de re Arndtiana reputabimus, verba ejus quamvis hyperbolica, ut ita dicamus, tamen intimum ejus pectus recludere confiteamur necesse est; nam tota epistola Cnopii ad Arndtium data impigrum animum testatur. Praeterea litterae sunt privatae, et auctor, si edendas conscripsisset, fortasse moderatiore sermone usus esset. Cnopius de libris Arndtianis dicit: „Quibus libris sol hic in hoc „genere nihil vidit praestantius, nihil divinius, neque apud priscos illos „patres ecclesiae neque apud hos novicios doctores, et nescio an in po-„sterum visurus sit umquam . . . ita praestitisti, ut a scribendo potius alios „deterrueris, quam invitaris palmamque praeripueris [23].“

Praeterea aliud scriptum pro Arndtio eidem Varenio debemus, idque inscriptum: „brevis consideratio admonitionis Georgii Rostii. Lunaebg. 1626.“

Brellerum vidimus Arndtii consuetudine usum esse; atque ex loco laudato scimus, eum apud senem moribundum versatum esse; quamobrem postea, quum „apologetica Arndtiana, das ist Schutzbriefe zur christlichen „Ehrenrettung des geistreichen Theologen Herrn Joh. Arndt, aus seinen „hinterlassenen Briefen, Urkunden u. s. w. Lünebg. 1625“ in lucem prodirent, hunc virum pro auctore habuerunt. Quae conjectura fit verisimilis, si locum comparamus, qui in dedicatione principis editionis latinae eodem anno 1625 editae legitur; infra dedicationem inveniuntur litterae M. B. [24]; quo loco auctor loquitur de epistolis mox vulgandis, quibus haec ipsa apologetica Arndtiana eum significasse putamus. Princeps editio apologeticorum nostra aetate rarissime inveniri videtur; jam Walchius [25] et Rambachius, qui omnes libros Arndtianos edidit, editionem sequuntur anni 1706, cui titulus praefixus est hic: „Wahrhaftiger, glaubwürdiger und gründlicher Be-„richt von den vier Büchern vom wahren Christenthume Herrn Joh. Arndts.“

---

23) 16. Juni 1620 in apol. Arndt. apud Rambach. tom. III. p. 1031 b. — 24) Libelli duo, qui Arndtianam rem defendunt, litteris M. B. F. B. consignati sunt, atque optimo jure Brellero tribuuntur. Editor latinae versionis principis M. B. est idem, atque qui edidit apologetica Arndtiana. Scriptor M. B. F. B. Arndtio erat conjunctus necessitudine, ab eoque filii loco habebatur. Nonne verisimile est, illum ex epistolis ab Arndtio relictis eas electas edidisse, quas liber apologeticorum Arndtianorum complectitur? Quibus caussis ducti censemus litteris M. B. F. B. designari Melchiorem Brellerum, sive Francofurtensis, sive Fuldensis fuit (Diecmann II, p. 215. not. 99.), eundemque litteris M. B. — 25) Walch. III, p. 187. cf. Unschuldige Nachrichten, Lpz. 1707 p. 397. Libellus, anno 1688 Rostockiae a Mich. Freudio editus, qui inscribitur: Bericht von Arndtii Christenthum nihil est nisi secunda editio apologeticorum Arndtianorum; cf. Rambach III, p. 1022; Fr. Arndt. p. 223.

Haec apologetica et liber: „geistliche Sendbriefe" maximi in controversia Arndtiana sunt momenti. Postquam hae epistolae, quae libris Arndtianis tantopere favent, cognitae sunt, multi acerbi vehementesque adversarii judicium severum mollivisse vel retractasse videntur.

Quid Nicolai, collega Osiandri, postea de Arndtii scriptis censuerit, jam indicavimus [26]; uno tantum judicio hic utamur, quod Mich. Waltherus, theologus quidam, in epistola ad amicum data professus est, scilicet Arndtium plura rectius intellexisse, quam scripsisse [27].

Optime meriti sunt de explicandis obscuris locis librorum de vero Christianismo Varenius et Dorscheus [28], viri doctissimi, eo quod singulis expressionibus haud satis perspicuis adnotationes indiderunt, quibus recte intelligerentur; qua de caussa etiam posterioribus editionibus additae sunt.

Eodem tempore, quo apologetica Arndtiana divulgata sunt, Norimbergae alius liber pro re Arndtiana in vulgus editus est, cujus libri nos nisi titulum afferre nihil possumus: „Unparteiisches Urtheil, wofür man die Bücher „Joh. Arndts vom wahren Christenthume halten soll, durch Joh. Saubertus [29]."

Praeterea liber nobis asservatus est, qui inscribitur: „schola Arndtiana „durch Mauritium Rachel, Rostock. 1627." Auctor defensores et amicos Arndtii, vel potius eos, qui libris ejus utuntur, in quattuor classes dividit: superciliosos censores, dolosos seductores, otiosos laudatores, operosos sectatores; quamquam scriptum pauca continet, quae ad rem nostram spectant, tamen lectori singulis locis status ecclesiae illius aetatis clare depingitur. Etiam hic liber raro inveniri videtur, quoniam neque Walchius, neque Rambachius libellum legerunt; nostra bibliotheca possidet.

Denique Norimbergae anno 1648 Georgius Treuius edidit: praxin biblicam Arndtianam, qui liber apud neminem nisi ex titulo est notus.

§. 7. Quid ecclesia posterioris temporis de libris Arndtianis senserit, explicatur.

Posteaquam auctores illustres eorumque in utraque parte scripta cognovimus, breviter nobis erit considerandum, quale fuerit judicium ecclesiae posterioris temporis de libris Arndtianis. Insequenti aetate peculiares controversias de libris Arndtii enatas non esse, non difficilem habet caussam. Animi quidem, quum jam viginti annos de illis libris disputatum esset,

---

26) cf. §. 5. p. 45. — 27) G. Arnold. II. p. 943 a. — 28) Utrum adnotationes, quas nomini Dorschei tributas invenies, revera ab eo conceptae sint (Diecmann l. l. II, p. 223), nec ne (Scharff. p. 60.), dubium est; ita Walch. III, p. 229. — 29) Diecmann. II, p. 181.

nondum plane conciliati, attamen aliquo modo sedati erant [1]). Bellum illud diuturnum exarserat, ex quo tamen civibus nostris parum salutis, et ecclesiae, si res utriusque partis animo perpendimus, parum commodi enatum est. Praeterea in novas controversias denuo incidimus, quibus universa ecclesia Lutherana permota et excitata est, ita ut viris doctis vix satis otii datum videretur ad Arndtianam quaestionem fusius retractandam. Etsi externa illa caussa satis apta esse non videtur, quae hunc rerum statum explicet, tamen controversiis syncretistarum, quos vocant, animi ita permoti sunt, ut paene in his solis tractandis quaestionibus versarentur. Quas lites exorsus est Statius Buscherus, minor natu [2]), qui Hannoverae pastoris munere functus est; Antonii Buscheri, majoris natu, pastoris Stadensis nobis asservatae sunt litterae, quae Arndtium nostrum summis laudibus efferunt [3]). Graves singularesque partes in omnibus controversiis agendis Cryptocalvinistarum, non minus in litibus, quae de pietismo natae sunt, egerunt theologi Wittenbergenses [4]). Quum Calixtus, theologus Helmstadiensis, benignum foedus inter utramque partem defenderet, theologi Wittenbergenses vehementer contra eum pugnaverunt, quamquam antea in eadem urbe diversissimae sententiae defensae sunt. Eadem vi rejici voluerunt Speneri sententias ejusque consilia improbarunt; quapropter hic jam anno 1677. cupivit, ut illorum animi sibi propensi essent [5]). Dum Spenerus ejusque amici Hallenses rectam doctrinam ad vitae usum et fructum adhibere volebant, Wittenbergenses contenti erant rectam doctrinam profiteri. Quum Wittenbergenses essent Speneri adversarii, etiam Arndtio non valde favebant; eosque adversariis eis adnumerare possumus, de quibus Spenerus saepius loquitur. Hic laeto animo profitetur, se esse Arndtii discipulum, qua in re Arndtium magna laude praedicat; et revera diligentissimis Arndtii amicis defensoribusque adscribendus est, quamvis eum vitiis omnibus aut maculis vacare numquam dicat [6a]). Ita Spenerus eum laudat, qui „indiculum Arndtianorum sphalmatum“

---

1) Spenerus dicit 1676: „Certe cogniti mihi sunt aliqui ejus (Arndtii) fautores, „nullus apertus hostis;“ cf. ejusd. consil. theol. lat. 1709. 3 tom. 4. III, p. 133a. Quae tamen verba non ita sunt intelligenda, ut Spenerus dicat, illa aetate neminem adhuc esse adversarium librorum Arndtianorum; nam ipse dicit: „quod vero non desunt, etiam apud „vos, qui B. Arndtium adhuc criminari pergant, miror.“ cf. ib. III, p. 492 b: „et miror „viros alioqui verae religionis studiosissimos aliquando sibi ita imponi passos, ut suspi- „cionibus illis (heterodoxias) non solum locum darent, sed etiam aliis implantarent atque „eas augerent;“ ib. III, p. 87 a. „Beati nostri Arndtii odium ne nunc quidem apud eos deferbuisse, qui veritatem evangelicam profitentur, non tam miror, quam serio indignor.“ ib. III, p. 595 b. — 2) Guericke, K. Gesch. III, p. 466. — 3) Apol. Arndt. apud Ramb. III, p. 1032. — 4) Hossbach, Spener. I, p. 27. — 5) Spener's Theol. Bedenken tom. III, p. 220. — 6a) Ibid. II, p. 301.

ei perlegendum miserat [6b]). Ex multis locis [7]) unum legas: „dass auch der „liebe Arndt noch so bösen Namen bei Einigen behält, hindert seiner Selig-„keit nichts (post Speneri mortem multum disputatum est, utrum ipse beatus „nominari posset nec ne!), so wird auch sein Gedächtniss nichtsdestoweniger „in Segen bleiben bei Allen denen, welche ihn mit Verstand gelesen, und „etwas einen Geschmack von geistlichen Dingen haben. Vielleicht wird „auch Gott noch hie in der Welt in besserm Zustande der Kirchen seinen „Namen lassen mehr zu Ehren kommen und von den Lästerungen, die er „hie hat leiden müssen, gerettet werden, dahingegen dort seine Krone so „viel herrlicher werden wird. Ich schäme mich nicht sein discipul zu heis-„sen, obwohl weiss, dass mich auch solches bei Einigen mit Verdacht be-„schwert hat [8])."

Sed etiam post Speneri mortem judicium de scriptis Arndtianis apud nonnullos theologos [9]) remansit dubium, quod nobis numero non parvo librorum ad rem Arndtianam respicientium in prioribus decenniis saeculi XVIII. editorum probatur. Novam tamen lucem de quaestione proposita vix nobis recludere videntur; multos aut ex solis titulis cognoscimus, aut ex eis, quae alii scriptores laudant.

Accuratius adversarii designantur in loco apud Rambachium [10]); ubi legimus, recentioribus Arndtii adversariis adnumerandos esse theologos Wittenbergenses; rem longe lateque divulgatam esse ex litteris ibidem laudatis cognoscitur. Quae quidem epistola extra patriam nostram scripta est ea intentione, ut qui scripserit, statum ecclesiae Lutheranae novasque controversias percontaretur; vel potius narrari affirmat Rambachius, professores Wittenbergenses disputandi thesem statuisse: „Arndtii Christia-„nismus magis impedit, quam promovet Christianismum." Quamquam opinamur, hanc narrationem addubitare nos posse, tamen facile intelligitur, viros doctos nullo modo in dijudicandis libris Arndtianis consensisse. Quomodo etiam posterioribus temporibus dubitationes de his scriptis proferre potuerint viri docti, eo explicatur, quod supra exposuimus. Quum imprimis novis documentis ad rem spectantibus editis vetus quaestio denuo retractari videretur atque augeri, Scharffius expressis verbis attulit: „nae vero is ego „sim, qui auso male sedulo inflictum verae pietatis vulnus dilatare et in-„tempestivo crudelique ungue dolorem ejus exacerbare ausim: absit, absit

---

6b) ej. cons. theol. lat. III, p. 447. — 7) Ejusd. letzte Bedenken I, p. 354; saepe Arndtii libri de vero Christianismo commendantur: theol. Bed. IV, p. 190; letzte Bed. III, p. 204; consilia theologica lat. III, p. 441 b; I, p. 342 b. — 8) Spener's theol. Bed. III, p. 619. — 9) Ad eos adversarios respicere, qui, quum de Arndtio dicerent, conviciis tantum eum conjecerunt, necesse non erit; cf. Unschuld. Nachrichten . . . Lpz. 1710. p. 528. — 10) Rambach. Tom. III, p. 1063.

„illud a me meoque in edendis etiam epistolis his consilio [11a]).“ Inter libros, qui rem nobis propositam tractant et explanant, sive locis ex aliis scriptis laudatis, sive novis rebus prolatis [11b]), nominandi sunt hi: Gleich, trifolium Arndtianum, Vitebg. 1714. 4., praeterea: „Arndtianos libros de „vero Christianismo praeside Wernsdorfio examinabit Elers, Vitebg. 1714. 4., porro: „Scharffii supplementum historiae litisque Arndtianae Vitebg. 1727. 8.“ Qua de caussa etiam qui scripta Arndtii postea ediderunt, non praetermiserunt, res, de quibus disputabatur, in prolegomenis tractare; ita Buddeus, Diecmannus, Rambachius. Eos libros, qui non toti ad rem Arndtianam spectant, hic omisimus.

Altera caussa libros Arndtianos denuo examinandi erat, quod multae librorum novae editiones illa aetate in lucem prodierunt.

Multorum virorum doctorum animos in se convertit editio librorum de vero Christianismo Stadensis cura Diecmanni, qui in prolegomenis [12]) accuratius de rebus controversis disseruit atque multas res nova luce illustravit, quo libri rectius dijudicarentur. Ex eodem tempore nobis servata est epitome collegii antifanatici, a Wernsdorfio anno 1704 habiti, quam Rambachius apologeticis Arndtianis annexuit [13]). Eandem quaestionem postea in peculiari disputatione edidit auctor amplificatam et auctam [14]), postquam Gleichius trifolio Arndtiano edito nonnulla explanavit. Hoc scriptum tres epistolas ad Piscatorem datas amplectitur, loco appendicis annexae sunt litterae Joh. Gerhardi anno 1625 ad Hunnium conceptae, quae documenta etiam Rehtmeyerus historiae suae ecclesiasticae Brunsvicensi inseruit [15]). Imprimis litteris Gerhardi ad Aegidium Hunnium divulgatis [16]) adversarii Arndtii utebantur, quibus libros illius improbarent. Gerhardus „nondum, inquit, per„suaderi possum, ut credam, ipsum spiritu fanatico actum aliud ore profes„sum, aliud vero corde clausum tenuisse, quum ab hypocrisi semper mihi „visus fuit alienus. Interim non diffiteor in ipsius scriptis de vero Chri„stianismo ambiguas et quidem ejusmodi phrases complures occurrere, quae „in Weigelianum sensum trahi facile possunt [17]).“ Vides, quae fuerint arma adversariorum Arndtii, quae ex epistola Gerhardiana petierunt. Gerhardus Arndtium Weigelianismi minime reum esse dicit, quamvis ejus judicium in

---

11a) Scharff. p. 6. — 11b). Ut libros omittamus, quos non cognoscimus nisi apud alios scriptores citatos, ita Gauhii historiam Arndtianam vel Stolzii libellum de scriptis Arndtianis, anno 1711 editum. — 12) Hanc praefationem etiam invenies in libro Diecmanni, teutsche Schriften; tom. II. p. 164 — 232. — 13) Rambach, tom. III. p. 1063 b. — 14) Etiam in Wernsdorfii disputationibus academicis tom. I. p. 246. — 15) Rehtmeyeri supplement. p. 231. — 16) Quam epistolam primum se in lucem edidisse Gleichius immerito in praefatione gloriatur; nam cf. Diecmann. II, p. 209. — 17) Rehtmeyeri suppl. p. 237.

dubio versetur. Qua re allata simul locum dedicationis latinae editioni a Brellero praefixae interpretari possumus, ubi scriptor acerbo animo „utcun-„que, inquit, nunc a multis Arndtii patrocinium turpissime deseratur, fama „etiam a nonnullis foedissime denigretur, qui viventi per litteras mox vul-„gandas humili cultu et observantia prope singulari studio sunt adulati [18]." Censemus nos maximo jure dicere, Brellerum hic imprimis Gerhardum intellexisse, praesertim si cogitamus, ordinem theologorum Jenensium, quibus Joh. Gerhardus praeerat, haud ita multo ante hanc latinam versionem improbasse [19]). Sed facile est perspectu, quomodo evenerit, ut Gerhardus postea quodammodo dubium judicium de libris Arndtii statuerit. Revera Arndtio vivo semper maxima reverentia et aestimatione de libris illius locutus erat scriptoremque saepe magnis laudibus praedicaverat, quum eum locutiones, quae in falsum sensum trahi poterant, non offenderent, quoniam ut theologus doctus Arndtii dicendi genus perspectum habere debebat. Sed quum postea, ex anno 1620, controversiae tam vehementes acerbaeque exorirentur, ipse eas formulas, de quibus disputabatur, fortasse accuratius perpendebat; qua re in eam sententiam perductus est, ut nonnullas expressiones lectorem non exercitatum offendere posse censeret. Gerhardum autem inconstantiae, cujus eum Brellerus arguit, arguere non possumus, neque eum adversariis Arndtii adnumerabimus, quod nonnumquam fecerunt; multo potius posteriore tempore in dijudicandis illis libris mediam ingressus est viam; quale judicium etiam Wernsdorfius de eo protulit. Qui quidem ipse, vir acuto ingenio [20]), quippe qui praeter multas disputationes polemicas etiam plures tractatus de dividenda precatione patris nostri (!) ediderit [21]), amicis Arndtii defensoribusque adscribi non potest; quod jam ea re comprobatur, ut, professor Wittenbergensis, theologos Helmstadienses et Hallenses impugnaret. Judicium de libris Arndtianis valde dubium profert; nam multis conditionibus clausulisque obvallatum est. Dum defensores Arndtii, qui amore rem tractarunt, vehementiae arguit [22]), ipse nonnullas formulas laudat, de quibus dicit: „quae verba fateor me capere non posse nedum „cum scriptura conciliare [23])." Summa judicii haec esse videtur: Wernsdorfius hominibus laicis usum librorum Arndtianorum, ne dicam non commendat, non libenter concedit. Quid de formulis, ab eo vituperatis, censendum sit, postea exponemus.

Anno insequenti libri Arndtiani de v. Chr. denuo Lipsiae cura Buddei editi sunt. Etiam huic novae editioni praefatio addita est; in qua scriptor,

---

18) De vero Christ. Lunaebg. 1625. dedicat. p. 3. — 19) cf. §. 3. p. 21. — 20) Hossbach, Spener. II, p. 225. 258. 320. 362. — 21) Walch. V. p. 1161. — 22) cf. §. 6. p. 52. — 23) Wernsdorf. p. 48.

qui summa eruditione erat praeditus [24]), sententiam suam de libris illis accuratius protulit et defendit. Se Arndtii librum maximi aestimare affert, quum in eo summa naturae humanae pernicies expressis verbis et aptis describatur et, quid Christianismus suave et dulce habeat, lectori ob oculos ponatur; locutiones singulares et obscuras casu tantum textui insertas esse; Arndtium, qui totum se cogitationibus dedisset, non satis attente verba sua vigilasse [25]). Hoc judicio bene fundato controversia composita esse videbatur. Sed post paucos annos Scharffius Buddei judicium impugnavit; multo potius in margine libri ejus leguntur verba: „Buddei tepor notatur [26]).“ Optime meritum esse Scharffium editione epistolarum usque tum ignotarum aut minus divulgatarum aliorumque de re Arndtiana documentorum, libenter agnoscimus [27]), quum multas res pro veris habitas impugnaverit atque correxerit; attamen magis quam par videtur eorum partibus favet, qui plurima in illis libris vituperanda esse putant, idque caussis minime sufficientibus. Maxime Wernsdorfii judicio assensus esse videtur et adversarios Arndtii tueri; ita nonnulla testimonia affert, quibus Osiandrum minime injuria contra Arndtium scripsisse comprobare studet [28]).

Huic scriptori sese opposuit Haferungius, qui jam antea versionem francogallicam librorum Arndtianorum ediderat, libro, cui nomen indidit vindiciarum Arndtianarum, anno 1728 in lucem prolato; nos librum accipere non potuimus. Quid apud alios de eodem inveniatur, hoc est. Haferungius in defendendis libris Arndtianis tanto ardore protractus esse videtur, ut diceret, libros Arndtii omnino non indigere examine. Qui librum recensuit, addit, Haferungii vindicias examine revera indigere [29]).

Sententiam Buddei postea Walchius probavit nonnullasque adnotationes ad libros recte judicandos constituit [30]). Summe optimeque de libris Arndtianis et de tota re Arndtiana meritus est Joh. Jac. Rambachius [31]) eo quod anno 1734 omnes Arndtii libros edidit, eisque prolegomena addidit. Tertio volumini annexuit omnes epistolas et judicia virorum doctorum, quae ad controversiam nostram spectant. Ita res usque ad finem perducta esse videtur. Nostris temporibus, ut jam supra diximus [32]), quaestio magis universa de omnibus ejusdem generis libris tractatur, de qua tamen re disputandi locus aptus hic non esse videtur.

---

[24]) Hossbach, Spener. II, p. 364. — [25]) Walch. III. p. 225. — [26]) Scharff. p. 160. — [27]) Scharffii liber recensetur in: Fortgesetzte Sammlung von alten und neuen theol. Sachen, Lpz. 1727. p. 1031. — [28]) Scharff. p. 39. — [29]) Fortgesetzte Sammlung. 1729. p. 503. — [30]) Walch, III, p. 231-241; cf. V. p. 1158. — [31]) Eximiam ejus intelligentiam praedicat Hossbach, Spener II, p. 368. — [32]) cf. supra §. 5. p. 44.

§. 8. Quid de criminationibus in Arndtium prolatis sit habendum, demonstratur.

Ad summum quaestionis de re Arndtiana caput pervenimus, quum considerabimus, non solum quales criminationes ac dubitationes in libros Arndtianos prolatae fuerint, verum etiam quid de eis sit judicandum. Postquam usque huc utramque partem ejusque opes cognovimus, jam nobis erit reputandum, de qua re tam vehementer acerbeque pugnatum sit.

Ad quam quidem quaestionem tractandam etiam aliis libris fontibus utemur, quum Osiandri liber, quamvis paene, tamen non omnes illas dubitationes complectatur. Non in finibus priorum controversiae temporum remanebimus, sed quaecunque de re proposita sunt disputata amplecti conabimur, quoad cognovimus et quoad poterimus.

Ex duabus epistolis Arndtii ad ducem Brunsvicensem datis [1]) cognoscimus criminationes, quas Danielus Cramerus in litteris ad ducem conceptis, nobis non conservatis, in Arndtium protulerat, easque, quas Osiander adversario non exprobrarat; utilia sunt judicia ordinum theologorum Wittenbergensium et Regiomontanorum [2]); etiam ex libello Mauritii Rachelii, schola Arndtiana, hausturi sumus criminationes, quas apud alios non invenimus; denique dubitationes, quas Wernsdorfius movit, perpendemus; qua re etiam de Scharffii sententia judicatur.

Osiander singulas criminationes non ita proposuit, ut ordo quidam servaretur; nonnullae enim non unum locum tenent, sed a scriptore aliis locis denuo prolatae sunt. Idem in libris Arndtianis monendum esse putamus, „ne ea „diversis locis legantur, vel idem argumentum, si integrum cognoscendum „sit, ex pluribus capitibus conquiri necessum sit [3]).“ Facile, si Osiandri librum leges, in ejus partes vertere possis, quoniam scriptor magna specie juris sibi vindicata et splendore quodam sermonis excellit. At si accuratius in rem inquires, judicium, opinor, prorsus aliud profiteberis; neque absterremur, quominus rem accuratius animo perpendamus, judicio illius, qui eum Osiandri librum, quo nos utimur, antea possidebat, in margine adnotantis, se omnino Osiandro assentiri [4])!

Censemus omnes criminationes dubitationesque in Arndtium prolatas in quinque capita merito dividi, quum primum crimen considerabimus, Arndtium libris suis edendis probasse, se temporum naturam prorsus ignorare; se-

---

[1]) 28. u. 29. Jan. 1621; cf. apolog. Arndt. apud Rambach. III, p. 1035 b. — [2]) Ib. p. 1041 b. — [3]) Speneri cons. theol. lat. II. p. 22 a; cf. Hagenbach, Vorles. III, p. 383. — [4]) Aliis locis addita invenies verba veluti: „mihi idem accidit,“ „verum „est,“ „cave“ cf. p. 93. 2. 55.

cunda res in eo consistit, ut reputemus, utrum adversarii merito Arndtio exprobraverint, eum ex veteribus libris mysticis multos locos descripsisse; tertio loco de eo disseremus, quod multi homines fanatici ad suas ipsorum opiniones defendendas in libros Arndtianos provocaverint; tum accuratius perpendemus, utrum Arndtius in libris suis sententias et doctrinas haereticas, a vera doctrina Lutherana deflectentes, professus sit, nec ne. Denique nonnullas locutiones considerabimus, quas lectoribus offendere viri docti dixerunt.

Priusquam propius accedamus, nonnulla, quae in universam rem spectant, affere liceat. Osiander in adversarium octo diversa haeresium genera protulit; Arndtium dixit fovere errores papisticos, monachicos, enthusiasticos, Pelagianos, Calvinianos, Schwenkfeldianos, Flacianos, Weigelianos [5]; merito miratur Varenius [6], plura nomina Osiandrum non invenisse; aliis locis Osiander indidit nomina synergistarum, jesuitarum, scholasticorum [7]. Osiandristam Osiander Arndtium non denominavit [8]; fortasse amore nominis prohibitus est! In omnes has criminationes, etiam in illam, ex qua Arndtii libri sunt rosaecruciani, certiores nos faciunt de auctoris orthodoxia et de librorum illorum praestantia multa multorum judicia. Ita professores Wittenbergenses censent (12. Mai 1620) Arndtium in libris illis „in „realibus" non erravisse, multo magis intentionem ejus esse maximi aestimandam [9]. Paucis diebus post (15. Juli 1620) judicium theologorum Regiomontanorum prodiit, in quo Arndtii doctrina pro severe Lutherana habita est; utrum Arndtii libri sint rosaecruciani, Weigeliani, Schwenkfeldiani necne, dici nullo modo posse, nisi „localiter" probetur [10]. Accuratius et rem ipsam dijudicans fuit judicium Jenense (10. Juli 1623), quod in lucem prodiit, quum Arndtius jam mortuus esset, et singuli ejus tractatus jam longum tempus in vulgus essent editi; auctorem, testatum est, librorum illorum falsae et haereticae opinioni deditum non fuisse, neque pro Weigeliano, Schwenkfeldiano, Rosaecruciano esse habendum „und wie dergleichen En- „thusiasten und Fladdergeister Namen haben mögen," sed in omnibus fidei articulis cum ecclesia Lutheranà eum consentiri [11]. Quamquam theologi Jenenses nonnullas phrases, imprimis in libro tertio, pro obscuris notabant, tamen Arndtii sententiam probabant, Dei verbum non esse „ein Lesewort, „sondern ein Lebewort." „Multi ex orthodoxis rectius senserunt, quam „locuti sunt, et ubi de sensu convenimus, in verbis faciles esse debemus."

---

5) Osiander. p. 9. — 6) Varenius. I, p. 39. — 7) Osiander. p. 354. — 8) Egardus Ehrenrettung. p. 24. — 9) Apol. Arndt. apud Ramb. III, p. 1041 a. — 10) Ib. p. 1044 a. — 11) Ibid. p. 1045 a; cf. Varenius I, p. 13; cf. praeterea Fr. Arndt. p. 275.

Sed praeter haec judicia, quae universi ordines theologorum professi sunt, nobis asservata sunt multorum virorum clarissimorum testimonia, quae omnia hic describere necesse non erit [12]). Quid Aegidius Hunnius de re senserit, jam exposuimus [13]). Certissime Arndtium orthodoxis theologis ecclesiae nostrae Lutheranae adscribendum esse, etiam clarissimus ille Rupertus Meldenius in paraenesi votiva (p. 252) dixit: „Quamquam igitur doctus „Arndtius inter orthodoxos a puero vixerit, orthodoxis theologis non paucis „familiariter notus fuerit . . . adeoque caritas christiana nihil sinistri aut „haeretici de ipso suspicari sinat . . . [14]).“ Etiam epistola illa Gerhardiana ad Hunnium nobis comprobatur, Gerhardum vel in posterioribus temporibus Arndtium erroribus haereticis et Weigelianis absolvisse: „utrinque peccari „video, tum ab iis, qui libros in coelum tollunt, tum ab iis, qui haereticis „erroribus patrocinari clamitant [15]).“ Revera in eo omnes, qui postea de libris Arndtianis judicaverunt, consentiunt, quod libri non sint haeretici. Wernsdorfius idem censuit [16]). Nonnullas phrases pro obscuris habuerunt viri docti, quas nostris temporibus a paucis tantum improbari putamus.

At quaeris fortasse, quomodo Arndtius ipse in has criminationes, ex quibus multae jam eo vivo prolatae sunt, sese gesserit. De hac re scriptor noster saepius disseruit; nimirum in epistolis, quae statim in lucem editae non sunt. At Osiander etiam his testibus neglectis Arndtium impugnasset, quoniam dixit, etiam in singulis tractatibus, ad libros defendendos vel explicandos conceptis, veluti in repetitione apologetica, inesse errores, immo novos errores [17]). Jam in praefationibus novarum editionum Arndtius doctrinam suam defenderat. Ita Arndtius ad Mentzerum: „. . tibi per„suadeas velim, me ab ineunte aetate usque ad multam canitiem nulli er„rori in Augustanam confessionem et formulam Concordiae impingenti verbo „imprimis divino adversanti fuisse addictum [18]).“ Fusius auctor noster a crimine Weigelianismi se liberat in epistola ad Frantzium [19]) data, accurate exponens, quid intersit inter ipsam suam et Weigelii doctrinam; alio loco: „Weil viel Rotten und Secten zu dieser Zeit eingerissen sind, deren Lehre „wider die heil. Schrift streitet, so thue ich hiemit dieselbe als falsche Lehre ausdrücklich verwerfen [20]).“ Sententias Schwenkfeldii, Osiandri, enthusiastarum, Arndtius expressis verbis rejecit [21]).

---

12) Multorum theologorum judicia collegit Scharffius. p. 162—187. — 13) cf. §. 6. p. 49. not. 4. — 14) cf. Lücke. p. 142. — 15) 2. Febr. 1625 apud Rehtmeyer. suppl. p. 237. — 16) „Arndtium ipsum satis excusatum habemus, nec eundem vel „haereseos postulamus, vel omnino damnamus.“ Wernsdorf. p. 37; cf. Walch. III, p. 230. — 17) Osiander. p. 397. 403. — 18) 23. Oct. 1620 in apol. Arndt. apud Rambach. III. p. 1038 a. — 19) 29. März 1620; Ramb. III, p. 612. — 20) In altero testamento 1616 cf. Ramb. III, p. 594 b. — 21) In margine repet. apol. cap. 3. cf. Ramb. III, p. 401; cf. Arndtii epist. ad Frantzium Rambach. III, p. 613 a.

Jam transeamus ad singulas res controversas contemplandas; optime brevissimeque judicabimus criminationes, si ad libros ipsos spectabimus.

I. Non mirabimur, Arndtium, si ad tempora illa respicimus, quomodo in academiis studium theologiae tractaretur, probare omnino non potuisse, ipsumque identidem professum esse, religionem christianam et veritatem non in eo consistere, quod multum disputaretur; id ipsum esse verum theologiae studium, ex quo robur christianismi in pectore perciperetur. Quid de academico studio theologiae Arndtius senserit, dicit simpliciter in epilogo libri secundi (p. 307b), ubi legitur: „Nec ego puritatem doctrinae veto, „quanta quis potest industria et vigilantia tueri; vitae sanctimoniam ma- „jori fervore propagandam esse censeo . . . doctrinam de Christo multi „maximo conatu et zelo tradunt; ejusdem vitam perpauci exercent.“ Itaque Arndtius disputationes de doctrina nullo modo prorsus rejecit, sed postulavit, ne in disputando vita ipsa negligeretur. Jam ante Osiandrum non defuerunt, qui nimio ardore ducti Arndtio exprobrarent, eum disputatricem theologiam omnino rejicere; nam jam Werenbergus eum ab hac accusatione liberavit [1]); de eodem crimine defenditur in libro: mysterium iniquitatis pseudoevangelicae [2]). Sed Osiander ausus est ad hanc criminationem probandam singulos locos ex Arndtii libris afferre [3]); ex quibus tamen prorsus contrarium elucet. Gravissima argumenta Osiander ex praefatione Arndtii in librum tertium petit; sed in eadem praefatione haec legimus: „Christum „per solam scientiam cognoscere nec juxta amare, ad nihil prodest [4]).“ Ex verbis: „o veram academiam (in corde) et unicam certissimamque ad veram „eruditionem et philosophiam divinam perveniendi methodum ac viam [5])“ Osiander probare studet, Arndtium theologiae studium academicum omnino rejicere. Per se patet verbis abruptis vim inferri. Facile intelligimus, quomodo Osiander multis claris locis neglectis [6]), ex sua sententia de libris Arndtianis dixerit, eos ad tempora illa aptos non esse [7]). Permultum offendit, quod Arndtius discrimen statuit inter homines doctos et sanctos; sed, quod antecedentibus probatur, auctor doctos homines appellat eos, quorum scientia nihil est aliud, nisi argutae et subtiles disquisitiones, ita ut doctrina christiana vim ullam ad vitam externam non exerceat [8]). Arndtium hoc discrimen eodem sensu statuisse, atque alii ante eum, scriptor libelli mysterii probare studet; ita affert: „audiant Senecam“ „„postquam docti

---

1) Werenberg. vindic. Arndt. 1622. p. 103, auctore Varenio II, p. 136. cf. Egard. p. 144. — 2) M. B. F. B. myst. iniquit. pseudoev. p. 22; 62. — 3) Osiander. p. 240. — 4) III. praef. p. 308 a. — 5) II. cap. 24. p. 196 b; cf. Osiander p. 247. 121; Varen. II. p. 196. — 6) I. c. 39. p. 109b. — 7) Osiander in praefatione ad principem. — 8) III. praef. p. 308 a; repet. ap. VI, p. 513 a. 514 a; Osiander. p. 243; Varen. II, p. 162; Egard. p. 148

„prodierunt, boni desierunt [9]).““ Jam Arndtius ipse senserat nonnulla in libris suis in falsum sensum facile perverti posse, praesertim si lector in cognoscenda doctrina christiana nondum provectus sit, neque dicendi genus librorum illorum perspectum habeat.

Ut nonnulli viri docti dixerunt, Arndtium contempsisse studium theologiae academicum, ita alii opinati sunt, eum ministerium verbi et personas ministrorum parvi aestimasse; quae quidem criminatio jam primis post scriptoris mortem temporibus exorta esse videtur [10]). Osiander locos varios ex libris Arndtianis hausit, quibus sententiam suam probaret [11]). Verbis „tunc Deus intus animam illuminat; omnia enim intus ex Deo scaturiunt [12]),“ non minus his verbis „sunt homines non pauci, qui varia conquirunt media „cum Deo se uniendi, ut sunt externa lectio aliaque devotionis exercitia [13]),“ aut quum Arndtius postulat, ut homo ab externis rebus se avertat [14]), probari opinatur Osiander, Arndtium externae verbi orationi nullam auctoritatem tribuere, sed omnia ex interna illuminatione proficisci velle. Quapropter (p. 230.) putabat hanc criminationem in Arndtium ideo multum valere, quod hic ipse dicat, cerimoniis, clamore ac precibus Deum non excitari [15]). At simulatque in antecedentia respexerimus, facile intelligemus scriptorem his verbis non designasse opinionem, ex qua externum verbi Dei ministerium contemneret, quoniam in eodem capite, quod ex Weigeliano libello desumptum esse adversarius vituperat, paullo antea allata sunt haec: „quae vero „neutiquam eo sensu dico, ac si externum consociandi munus contemnam [16]).“ Verba per se spectata planum est non ita interpretari nos posse, sicut Osiander velit, qui revera multis aliis locis, ubi Arndtius accuratius de hac re disserit [17]), prohiberi debebat, quominus verba tam vehementer perverteret. Ita legimus: „Cum autem natura adeo coeci sumus, ut propriam „miseriam ex nobis ipsis digne agnoscere non valeamus, ideo media nobis „largitus est Deus, puta verbum et sacramenta, quae gratia ejus spiritusque „numquam non comitantur [18]);“ non minus clare a nobis postulat, ut diligenter et attenti Dei verbum audiamus [19]). Nonne statim Osiandrum fefellisse putamus, si nobiscum reputamus, Arndtium ipsum tam diu pastoris munere functum esse? Num id munus, cui tam diu praeerat, poterat contemnere?

Omnibus hominibus mysticis et fanaticis ea sententia est communis, sacrificium, frequentem usum sacrorum non esse nisi rem externam, quae

9) p. 22. — 10) Myst. iniq. pseud. p. 148. — 11) Osiander. p. 222. cf. p. 62. — 12) III. c. 11. p. 331 a. — 13) III, c. 5. p. 320 a. — 14) III, c. 12. p. 333 a. — 15) II, c. 34. (c. 11.) p. 228 a. — 16) Ibid. p. 227 a. — 17) I, c. 38. p. 106 b; II, c. 35. p. 229 b; III, c. 5. p. 320 a; II, c. 51. p. 281 b; I, c. 21. p. 56 b; cf. Varenius. II, p. 6—77; Egardus. p. 142; Rachel, schola Arndtiana. p. 36. — 18) II, c. 9. p. 156. — 19) Lehr- und Trostb. c. 3. V. p. 438 b.

ad internam hominis vitam nullo modo pertineat; veluti Jacobus Boehmius ab ecclesia Lutherana se non segregavit neque novam sectam formare voluit, quamquam universam ecclesiam Lutheranam dictitabat Babel. Easdem sententias fovit Weigelius, qui societatem ecclesiasticam nominabat formam mortuam, cujus quidem socius ipse manere volebat, quamquam ex intimo pectore ei non assentiebatur [20]). Osiander maximam industriam in id navavit, ut talia in Arndtii quoque libris deprehenderet. Quae quidem opiniones a sententiis principiisque Arndtii non plane quidem alienae sunt, ita ut facile Osiandro credamus, neque miremur, scriptorem nostrum, qui vitam hominis internam tantis verbis extulit, externam societatem ecclesiasticam parvi aestimasse. Sed Arndtius noster tantopere in vita externa versabatur, ut ita veram et sinceram sententiam foveret, vitam externam cum interna omnibus modis congruere debere atque consociari. Osiander eo sibi satisfecit, ut Arndtium de persona ministrorum ecclesiae falsa docere diceret. Nullo modo Arndtius improbabat, doctrinam, ab impio pastore praedicatam, eo non depravari, quum vera doctrina etiam inter malevolos homines remaneret sincera; sed Osiander unum alterumve locum afferre studebat, in quo Arndtius dixerit, doctrinam veram, quam impius pastor profiteatur, in falsam perverti. Tamen in locis ab Osiandro allatis ne vestigium quidem illius sententiae comprobatur [21]). Quum Arndtius „quomodo, inquit, pura doctrina divinaque penes illum residere poterit, cujus „vita impura est et antichristiana (I, c. 38. p. 108a)," nihil profitetur, nisi hominem, qui in peccatis et vitiis versari pergat, a vitae etiam luce, ab luce viritatis deseri.

Osiander igitur nullo modo concessit, eam viam, quam Arndtius ingressus esset, esse bonam et ad verum christianismum perducere.

II. Arndtius in libros suos de vero Christianismo ex veteribus mysticis scriptis nonnulla suscepit.

Scriptore vivo jam multum de hac re disputatum est, nam Arndtius ipse saepius se defendit. Quamquam non omnes improbabant, quod Arndtius fecerat, tamen ab eo postulabant, ut de hac re sententiam suam exprומeret; omnes autem in eo consentiebant, Arndtii libros magna ex parte bibliis sacris fundatos esse. Nec tamen, Osiandrum omnes priores adversarios vehementia et audacia longe superasse, miraberis. Libros Arndtianos censuit haustos esse ex scriptis hominum, qui „im dicken dunkeln Babstthume" vixissent, libros ipsos, quamquam scriptor nonnumquam sacra scriptura usus esset,

20) Delitzsch, p. 67. — 21) Osiander. p. 236; Varenius II, p. 96—126; I, c. 21. p. 58b; I, c. 35. p. 95a; I, c. 38. p. 108a.

hominibus niti, „die selbsten wol mehr Liechts bedörfft und gewünschet [1].“ Profecto bibliis sacris non multum auctoritatis tribuitur [2]. Sed primo aspectu videmus, rem plane diversissime se habere, quoniam Arndtius unum alterumve locum ex scriptis priorum mysticorum deprompsit, semper autem biblia sacra auctorem profitetur [3], neque intelligere possumus, quomodo Osiander veritatem ita potuerit pervertere, quum exempli gratia in quinquagesimo capite libri secundi plures quam sexaginta locos ex bibliis sacris laudatos inveniamus; in capite 52 invenimus 38; in cap. 53 habemus 50; in capite 54 legimus 20 [4]. Sed hac re Osiandri vehementiae non est satisfactum; immo vero dicit, Arndtium verbum Dei scriptum parvi aestimare, quum bibliis sacris omnino nihil solatii concedat neque lectorem gravissimis impugnationibus vexatum ad scripturam sacram monstret, sed in internum Dei verbum, in internas illuminationes et revelationes [5]. In ejusmodi temeritate audaciaque non possumus nisi tacere; nam qui tot in Arndtii libris locos clarissimos negligit hac criminatione prolata, vix dignus est, cum quo disputetur. Arndtius: „idcirco spiritus sanctus in verbo Dei efficacissimas consolationes adversus illam (tentationem) consignavit [6];“ quamobrem auctorem nostrum non reprehendemus, quod coram Deo ejusque ecclesia testatur, sibi vim et injuriam inferri, atque sperat, Deum tales criminationes abjudicaturum et criminatores perversurum esse [7]. Veteribus illis libris mysticis hominem vere christianum uti non debere, putat Osiander, sed bibliis sacris solis, quoniam Christus ipse dixerit: „sermo, quem locutus „sum, ille judicabit eum in novissimo die (Joh. 12, 48).“ Talibus nimirum argumentis unusquisque libenter assentietur! Osiander quidem sibi persuasum habet [8]. Maximos impetus Osiander fecit in libros Tauleri, in theologiam germanicam, in Weigelii librum de oratione. Tauleri adoriendi satis caussae obtulisse videtur locus ineuntis libri tertii de v. Chr., ubi Arndtius dicit se in eis, quae expositurus sit quam fieri possit maxime Tauleri vestigia esse secuturum [9]. Expressis igitur verbis, dicit Osiander, Arndtius profitetur, se librum suum tertium Tauleri scriptis fundaturum esse [10]. At Arndtius minime hoc fecit, sed nonnusquam in ea monstravit

---

1) Osiander. p. 34; cf. p. 24. — 2) Ibid. p. 12. — 3) Egardus. p. 25. — 4) Varenius. I, p. 56. — 5) Osiander. p. 225. — 6) II, c. 51. p. 278 b; cf. p. 75. — 7) Repet. apol. VI, p. 508 b; ib. p. 494 a; cf. Varenius. I, p. 51. — 8) Osiander. p. 35; Arndtium non ea ratione, qua putet Osiander, ejusmodi libris mysticis usum esse, per se patet; Osiander affert, scriptorem nostrum eandem doctrinam tum recte, tum perverse proposuisse „nachdem er im Ausschreiben einen reinen oder „unreinen, jetzt einen recht evangelischen, dann einen päbstischen oder sonsten einen „schwärmerischen autorem angetroffen.“ Osiand. p. 270. — 9) III, c. 14. p. 310 b. — 10) Osiander. p. 27; cf. Varenius I, p. 62; Egard. p. 26.

singulosque locos revera ex eis hausit; semper fere praeterea nomen auctoris addidit [11]).

Non mirabimur, Arndtium ex sententiis suis et principiis ad catholica illa scripta respexisse, si animo perpendemus, ejus libros fere esse primos hujus generis in ecclesia Lutherana scriptos; libri theologorum protestantium perpauca continebant, quae ei apta viderentur. Simili forma res divinas contemplandi Arndtius ad libros Tauleri, Kempisii, aliorum perductus est, quamquam eorum sententias haud omnes probavit. Ipsa Tauleri scripta quis negabit multorum animos dulcedine quadam oblectare? Arndtius aliis locis dicit, apud Taulerum lectorem inventurum esse tantam lucem salutis, pietatis, sanctitatis, reverentiae, beatitudinis, Dei timoris, sapientiae spiritualis, „dass ers fruchtbarlich zur köstlichen Seelenarzenei wird zu genies„sen haben [12]).“ „Scopus Tauleri est, per resignationem et abnegationem „sui propiorem et conjunctiorem fieri Deo, atque ita Deum sentire intra „sese [13]).“ Similiter judicaverunt Lutherus, Melanchthonus, alii; ita Spenerus: „Kempisium et Taulerum ex manibus mihi eripi non fero [14]).“ Osiander quidem aliter judicavit, quum Taulerum nominat: „ein stinkendes, unge„sundes Wasser [15]).“ Idem statuendum est de theologia germanica; de quo libello Lutherus ad Spalat. 1516. „Neque enim ego vel in latina vel „in nostra lingua theologiam vidi salubriorem et cum evangelio consonan„tiorem [16]).“

Jam pervenimus ad rem, quae permultis dubitationes in Arndtium movit, qui jure criminis Weigelianismi hac re accusari videtur. Duodecim enim capitula intexuit libro secundo, quae capite tricesimo quarto continentur; sunt epitome ex libello precationum concepta, qui postea nomine Weigelii obsignatus in lucem prodiit. Usque ad id tempus, ubi Weigeliana scripta latius divulgabantur, duodecim capitula libro secundo inserta [17]) omnino non offenderunt. Arndtius libris suis ita inseruit capitula, ut lector attentus facile intelligere posset, eum singulari ratione ductum divisisse unum caput in duodecim capitula. Qua de caussa in duplicem partem adversarii Arndtium adorti sunt, quum ipsi crimini verterunt, eum libris tam haereticis et opinionibus falsis quasi refertis esse usum, et ipsum ea de re

---

11) cf. §. 3. p. 17. — 12) Rambach. tom. III, p. 618 a; cf. Arndtii epist. ad ducem Brunsvic. Rambach. III, p. 1035 b; eadem verba legimus apud Varen. I, 83. Fr. Arndt. p. 183. — 13) Arndt. ad ducem Brunsv. apud Rambach. III, p. 617 b. — 14) Speneri cons. theol. lat. III, p. 137 b; saepius Spenerus Tauleri libellos ex intimo pectore commendat; ita theol. Bed. I, p. 313; III, p. 732; IV, p. 427; letzte Bed. I, p. 322; cf. ejusd. consil. theol. lat. III, p. 204 a; theol. Bedenken. III, p. 828. — 15) Osiander. p. 280. — 16) cf. de Wette, Luthers Briefe. I, p. 46; cf. Rambach. III, p. 922. — 17) cf. §. 3. p. 17.

Weigelii sententiis assensum esse omnineque eas comprobasse. Sed ipse Osiander concedit (p. 4.) somnia Weigeliana non esse nisi multos annos post libros Arndtianos editos enata. Praeterea Dilgerus in libello de quaestione Arndtiana affert (cap. 5. quaest. 2.), haec duodecim capitula cum libro Weigeliano non semper consentire, ita ut Arndtius nonnulla ipse correxerit [18]).

Si alteram criminationem consideraverimus, videbimus, sententias Arndtii et Weigelii adeo dissimiles esse, ut in rebus gravissimis differant. Quid Arndtius et Weigelius de precatione senserint, jam antea explicavimus [19]); etiam quid intersit inter sententiam Weigelii de interna illustratione animi humani et Arndtii opinionem exposuimus [20]). Non aliter atque Arndtius dictitabat Weigelius, omnia quae biblia sacra enarrarent, in homine denuo fieri debere; cum Christo debemus pati, mori, suscitari; universa biblia sacra censuit Weigelius allegorice esse explicanda [21]). Sed caussa qua Weigelius ad hanc sententiam perducebatur ab Arndtianis principiis plane aliena erat. Ille enim singulari sua de redemptione per Christum sententia eo permotus est, quam non ita intelligendam putavit, ut hominem ad peccata abluenda nihil amplius facere oporteret, quum Christus pro omnibus satisfecisset hominibus; immo hominem iterum pati necesse esse; in eo redemptionem per Christum spiritualiter debere iterari, quoniam aliter Christus pro nostris peccatis non satisfecisset [22a]). At Arndtius expressis verbis dicit, morte Christi justitiae divinae satisfactum esse, ut homines a poena debita liberarentur [22b]); quamquam Arndtius saepius effert, fidem hominis vivam esse debere et efficacem. Jure Arndtius evocat: „Was gehen mich des Weigels „Irrthümer an, darüber ich gegen vornehme Leute oft geklagt, dass er wi- „der die Schrift die justitiam imputativam spöttisch ausmacht;" deinde pergit: „Mit Osiandri Irrthum hab ich weniger als nichts zu thun . . . Wider „den Schwenkfeld hab ich die Kraft des göttlichen Worts deutlich genug „asserirt [23])."

Videmus igitur, immerito dici, in libris Arndtianis opiniones inesse Weigelianas [24]); cui quidem sententiae etiam qui postea de Arndtii libris judicium professi sunt, sunt assensi. Ad sanum judicium statuendum per-

18) Secundum Varenium. I, p. 51; cf. M. B. F. B. myster. iniq. p. 96; §. 6. p. 50. — 19) cf. §. 4. p. 83. — 20) cf. §. 4. p. 36. — 21) Hagenbach. III, p. 337. — 22a) Christum pro nobis omnino satisfecisse credere, ita ut nos nulla alia re indigeamus; ut redimamur, Weigelius nominat „ein Zechen auf Christi Kreide;" cf. Fr. Arndt. p. 12. — 22b) cf. §. 4. p. 32. — 23) Arndt. ad Frantzium. Rambach. III, p. 613 a. — 24) Varen. I, p. 84; Egard. p. 31; Osiander in praef. ad principem. p. 41. 51; M. B. F. B. myst. p. 96; cf. praeterea Nothwendige Warnung vor des Eliae Praetorii Schandbuche. Hambg. 1645. p. 324–330 (Prüfung des Geistes Eliae Praet. praef. num. XIV.).

pendamus necesse est, quae Andreaeus dixit. Quamquam Weigelium nominat „pestem, et quo nocentiorem vix ulla aetas habuit," tamen concedit, in libris ejus inesse „plurimum boni [25])." Praeterea Spenerus monuit, unum idemque verbum a Weigelio et ab Arndtio prolatum esse diversissimum [26]). Etiam Wernsdorfius, qui Arndtium propter duodecim illa capitula vituperat, quoniam liber secundus non parum sit contaminatus, tamen ab erroribus Weigelii eum defendit, „quod duodecim capita ex Weigelio „descripsit, inscius fecit, et sensu, non Weigeliano sed orthodoxo adhi„buit [27])." Nec aliter Scharffius [28]).

Si cum Osiandro (p. 49.) in eam rem inquirimus, cur Arndtius, qui bibliis sacris sibi satisfacere poterat, etiam aliorum scriptis et quidem auctorum haereticorum fanaticorumque usus sit, libere profitemur, Arndtium recte fecisse, quod eos libros, qui ab aliis ante eum concepti erant, plane non neglexit [29]). Ne omittamus, quae de hac re suavia leguntur apud M. B. F. B.: „Arndtius ex libello Weigelii de oratione in suos aliqua trans„tulit . . . Sicut apes ex quolibet flore mel colligunt, ita Christiano ex „quolibet proficere concessum est. Mundis enim omnia munda sunt [30])."

III. Transimus ad rem, quae non magnae nobis erit difficultati. Arndtius vituperatur, quia vel haeretici et fanatici homines ad libros ejus se receperint; qua tamen in re adversarii eo progressi non sunt, ut auctori librorum de v. Chr. omnes falsas opiniones eorum imponerent, qui ad suam doctrinam probandam fulciendamque libris ejus nisi sunt; scripta tamen Arndtiana hac re suspecta videbantur. Homines Weigelianos, Schwenkfeldianos, Rosaecrucianos ad libros Arndtianos provocasse legimus; multi etiam in eis sententias et opiniones sibi deprehendisse visi sunt, quarum ne vestigium quidem invenimus; quamquam nonnullae phrases leguntur, quae facile ad falsas opiniones perducere potuissent. Quamobrem legimus: „haereticorum omnium quotquot orbis hactenus vidit, elogiis fuit diffamatus [1])." Etiam Osiander vehementiam suam eo defendere [2]) conatur, quod dicit, multos Weigelianos, anabaptistas, Schwenkfeldianos [3]) ad illos libros provocasse; immo nonnullos haereticos multa librorum exemplaria tegumento pulchro munienda curasse, et inter homines dilargitos esse eisque commendasse. Quamobrem homines adhortatur, ut libros caveant. Attamen nonnullos annos ante Osiandri librum editum jam multi de hac re

---

[25]) cf. Theopilus. dial. I, p. 35. — [26]) Theol. Bed. III, p. 17. — [27]) Rambach. III, p. 1063 b. — [28]) Scharff. p. 61 μ. a Weigelianismi suspicione Arndtius liberatur. — [29]) Varenius. I, p. 94. 97. — [30]) Mysterium. p. 97; cf. Andreae. Theophil. dial. II, p. 79. — [1]) De vero Christianismo libri 4, Lunaebg. 1625, in dedicatione p. 2. — [2]) Osiander. p. 4. — [3]) Rachel. p. 38.

recte judicaverant. Ordines theologorum academicorum agnoverant, etiam ad ipsa biblia sacra homines fanaticos provocare solere in eisque fundamentum suarum opinionum falsarum quaerere; haereticos libris Arndtianis auctore invito tamquam testibus usos esse: ita theologi Wittenbergenses et Regiomontani [4]). Plerique fanatici in Arndtio praedicando extra modum egressi esse videntur; nam legimus Arndtium saepius nominatum esse Eliam Artistam, Johannem Baptistam, tertium Eliam [5]), sicut Lutherus haud raro nomine alterius Eliae ornabatur [6]). Wernsdorfius: „admittimus, inquit, „et probamus illos de v. Chr. libros, nec obstat, quod plerique fanatici ad „beatum Arndtium provocent: nam et ad sanctam scripturam ipsam omnes „se recipiunt; quod nonnulli Arndtium tertium Eliam dixerunt: hoc enim „ipsi invito accidit [7])." A Weigelianis et Schwenkfeldianis libros Arndtianos commendari non mirabimur, quum et Weigelius ipse hominibus biblia sacra commendaverit: ita Varenius [8]). Qua periculosa ratione homines fanatici ad Arndtii scripta provocaverint, ex libello Maur. Rachelii elucet [9]), qua tamen in re luce clarius est, quanta vis verbis Arndtianis sit illata. Ex Arndtiana enim praedicatione vitae hominis internae, haeretici sententiam probare studuerunt, internum tantum hominem maximi esse momenti, nullo modo respiciendum esse, quomodo externa vita se habeat. Multi igitur licentius vivebant neque maxima flagitia committere dubitabant, quum dicerent externam vitam minimi esse aestimandam, dummodo animus peccatis esset liber. Suo jure Rachelius miratus evocat, quo in loco librorum Arndtianorum talia legantur, num in quinto aut sexto libro [10]) ?

Nec minus redarguit Rachelius sententiam Schwenkfeldianorum, quum dicit, Arndtium nullo loco de carne Christi disputasse, multo minus contendisse, Christum revera carne et sanguine indutum non fuisse, corpus ejus solummodo ex spiritu sancto profectum esse. Cui tamen opinioni Arndtius numquam assentiri potuit, nam maxime ab ejus consilio abhorrebat.

Quia tantis verbis Christum praedicaret nobis tamquam exemplar atque normam vitae propositum esse, Danielus Cramerus objecit Arndtio, eum ad Socinianorum doctrinam se applicare. Auctor noster monet tantum, ut Christi gratiam nobis acquiramus et ex vera fide novam vitam et bonam agamus; qua de caussa Arndtius affert, Cramerum illum libris suis falsum tribuere consilium, quoniam non de ea re dicere voluerit, quid de redemptione Christi sit habendum, utrum pro omnibus sufficiat necne; consilium suum ad vitae tantum usum spectare [11]). Etiam Eliam Praetorium ad Arndtii

---

4) Rambach. III, p. 1041. — 5) Diecmann. II, p. 168. not. 9. — 6) Thiersch, Vorles. I, p. 274. — 7) Rambach. III, p. 1064 b. — 8) Varenius. I, p. 95. — 9) Rachel. schola Arndtiana. p. 32. — 10) cf. §. 3. p. 16. — 11) Apol. Arndt. apud Rambach. III, p. 1036 a.

libros immerito se recepisse pro falsis suis opinionibus, nobis asseveratur, tamen statim additur, utriusque doctrinam tantopere distare, quantopere inferna distent a coelo [12]).

IV. Omnes, quas usque huc tractavimus, criminationes in Arndtium prolatae pro nihilo fere habendae esse videntur, si ad insequentes respicimus. Arndtio exprobratum est et Osiander multos locos ex libris ejus laudare studet pro sua sententia, auctorem nostrum in nonnullis doctrinae momentis falsa docere; neque enim ad nostrae ecclesiae doctrinam sese inclinasse, sed suis ipsius cogitationibus indulsisse, immo nonnullas sententias cum doctrina catholica consentire. Praeterea adversarii multos locos attulerunt, quibus scriptor ab ecclesiae Lutheranae quidem doctrina plane non discesserit, attamen sententias protulerit, quae facile in falsum sensum ac somnia fanatica verti possint. Impetus in Arndtii orthodoxiam facti sunt et propter doctrinam de illuminatione et de justificatione. Facile videmus, Arndtium in his ipsis doctrinis suae aetatis opinionibus sese opposuisse; altera ab altera doctrina sejungi nequit, si recte intelligere velis; in his conjungendis summum Arndtianorum librorum consilium erat positum.

A.) Deus ipse aut Christus aut spiritus sanctus hominem illuminat [1]).

Controversiae caput hoc esse videtur: Quaeritur, utrum Arndtius in doctrina de illuminatione hominis profitenda Weigelii secutus sit sententiam, necne. Weigelius dixit, a spiritu sancto hominem subito corripi atque Deum extemplo sine externo medio in hominis animo revelari; quamobrem Weigelius inter internum Dei verbum distinxit et externum. Jam Arndtio vivo ex libris ejus exprobrare voluerunt, eum de illuminatione animi humani per spiritum sanctum sine gratiae mediis Dei verbi et sacramentorum dicere; quas tamen criminationes Arndtius ipse in epistola ad Mentzerum, theologum Giessensem, rejecit: „Quod autem suspicio de me aliena nonnullos incessit, „id inde est, quod obiter legentes meos libros de v. Chr. putant, me praxin „illam vitae Christianae, quam urgeo, sine mediis, verbo nimirum divino „et sacramentis, docere, in qua tamen re maxime falluntur [2]).“ Hoc certe negari nequit, Arndtium in magno periculo versatum esse, in errores Weigelianis similes delabi [3]).

---

12) Prüfung des G. El. Praet. p. 725. — 1) cf. §. 4. p. 36. — 2) 23. Oct. 1620. cf. apol. Arndt. apud Rambach. III, p. 1037b. — 3) Recte judicat Boemus (Lond. 1708. tom. I, §. 19. p. 16.): „licet θεοδίδαξιν internam maxime requireret (Arndtius), „tantum tamen aberat, ut vanae ac aegrae mentis deliriis ac fascinationibus, quae gratiae „media excludant, patrocinaretur, ut potius ex toto hoc opere pateat, autoris doctrinam „eo tendere, ut suppresso amoris proprii aestu deletisque mendacibus corruptae mentis „ideis, divinum gratiae lumen animae facultates bene repurgatas et amniticatas, verbi

Maxime vituperat Osiander Arndtium, quod identidem ad internam illuminationem monstret neque ad Dei verbum, ad sacramenta, ad verbi divini ministerium (Osiand. p. 106.); singulis tantum locis ad ministerium verbi monstrare, dicit, et quidem breviter de eo verba facere, quasi de industria ab eo sese averterit. Multo magis Osiander (p. 108.) ex libris illis probare scit, lectorem ab Arndtio instrui, quomodo visiones Schwenkfeldianas percipere possit atque ad raptus exstaticos (p. 109.) propensus fiat. Etiam illam doctrinam, quae has illuminationes sequitur, de unione animae nostrae cum Deo, Osiander aggreditur; sed jam antea diximus, Arndtium in hac doctrina fidem magnopere praedicare; non raro dicit de unione in fide [4]), quam sententiam nullo modo raptum exstaticum nominabimus [5]). Inter multos locos, quos Osiander laudat [6]), sunt hi: I, c. 5. p. 14b; I, c. 6. p. 18a; I, c. 23. p. 64a; II, c. 35. p. 229b. Primo aspectu videbimus his locis nihil contineri, quod lectori offensioni sit; nimirum Arndtius dicit, illuminationem ex intimo pectore proficisci et hominem ad salutem perducere. Ut videas, quomodo Osiander suam incriminationem ex Arndtii verbis extorserit, legas: „doctrina, quae deorsum venit per di-„vini spiritus inspirationem, haud paullo excellentior est illa altera, quam „intellectus humanus magno labore operose congerit (I, c. 36. p. 98b)." In fronte capitis legitur: „eum, qui in Christo non vivit . . . . externam „tantum scripturae litteram possidere, interiorem autem verbi vim et manna „absconditum non gustare." Osiander (p. 112.) haec verba explicat: Id est: „Es bedarf weder studirens, predigens noch lehrens vom Kirchendienste." Non minus vehementer Arndtium accusat Osiander, eum saepius dixisse, regnum Dei esse in homine ipso quaerendum, cor hominis esse habitaculum sanctae trinitatis et templum Dei. Osiander vituperat hos locos: III, praef. p. 308b; III, c. 1. p. 310b; I, c. 23. p. 64a; III, c. 10. p. 329a; II, c. 24. p. 196a; III, c. 15. p. 337b, ubi legimus: „si Deum sincere dilexeris, vocem illius itidem in te audies;" Osiander (p. 121.) huic sententiae indidit nomen raptus exstatici. Eodem modo Osiander improbat, quod Arndtius postulat, ut animus arcte sese ad Deum applicare debeat, ut animus sabbatum celebret. Osiander explicando affert p. 117.: „Nota bene. Hier regnets „und schneits mit Pelagianischen und Wigelianischen Schwarm zu;" p. 118: „hier hörest du Arndtn und Wigeln aus einem Horn blasen." Quamquam

---

„usu collustrare debeat et exornare; cf. III, cap. 10." — [4]) cf. §. 4. p. 37; Egard. p. 76. — [5]) De doctrina de unione cum Christo accuratius disputat Varenius (I, p. 399—524.), quum de essentia doctrinae dicit et veritatem biblicam probare studet; qua in re Osiandrum aggreditur, qui dixerat, animam hominis etiam post renovationem refertam esse peccatis et vitiis; cf. Osiander. p. 185. — [6]) Osiander. p. 111; cf. Varenius I, p. 525; Egard. p. 74.

Arndtius non semper addidit [7], quibus mediis haec illuminatio in animo humano exsistat, tamen plurimos locos in promptu habemus, qui sententiae ejus multum lucis tribuunt [8]; quapropter, ut mitissime loquamur, injustum esse videtur hos locos plane negligere; praeterea Arndtius saepius explicat, quid nominaverit sabbatum animae [9]. Osiander ejusmodi sententias nominat raptus exstaticos, Weigelianos, Schwenkfeldianos, enthusiasticos [10]; immo appellat raptus in coelum septuagesimum septimum [11]. Verba illa „sine mediis," quae sola has illuminationes in errores fanaticos vertunt, Arndtius minime usurpavit; Osiander immiscuit; nec pauci loci inveniuntur, quibus Osiandri criminationes plane rejiciuntur [12]. Sed adversarius Arndtii eo non est contentus: ex bibliis sacris et ex scriptis Lutheri probare studet, somnia fanatica esse respuenda [13], quod nemo, opinor, infitiabitur. Ut Arndtio fundamentum sacrae scripturae pro doctrina eripiat, Osiander multis verbis Christi vocem (Luc. 17, 21.) „regnum Dei intra vos est" explicare studet [14]. Haec illuminatio et revelatio spiritus divini in pectore hominis Arndtio nihil aliud erat, nisi viva et efficax cognitio Dei, bonitatis ejus et amoris (I, c. 40. p. 116 b; I, c. 41. p. 117 b; II, c. 24. p. 196 a; III, c. 15. p. 338 a; rep. apolog. VI, c. 5. p. 497 b.).

Quemadmodum summa Osiandri argumentorum in eo consistit, quod identidem easdem criminationes et dubitationes in libros Arndtianos repetit; iterum fusius Arndtii sententiam et expressiones de sabbato animae aggreditur (Os. p. 197.) Contra omnes Osiandri lamentationes unum locum ex libris Arndtianis describamus: „utrum internum verumque sabbatum (cordis) „celebres? Utrum a pravis cogitationibus et impia voluntate ferieris? Utrum „denique cor tuum Deo sit devotum et vacuum a creaturae strepitu, ut in „te operari possit Deus? Templum ais te frequentare; Bene! vide tamen, „ne arrogantiae et vanitatis quendam vermem una templo inferas, qui se„cretius conscientiam arrodat [15] . . ." Non minus fuse Osiander repetit criminationem, humilitate nos ad illuminationem per spiritum sanctum non duci [16].

Restat, ut de scripto et praedicato Dei verbo disputemus. Etiam in hac re Osiander eo nititur, quod Arndtius revelationem supernaturalem,

---

7) Varen. I, p. 557; cf. praeterea I. p. 525—570; Egard. p. 80—128. — 8) cf. §. 4. p. 37. not. 83; cf. p. 74. not. 20. — 9) I, c. 13. p. 34 a; I, c. 17. p. 44 b: III, c. 11. p. 331 a; III, c. 2. p. 312 b; III, c. 3. p. 317 a; cf. Varen. I, p. 572; §. 4. p. 35. not. 66. — 10) Osiander. p. 150. 151. 157. — 11) Ibid. p. 109. — 12) I, c. 3. p. 9 a; I, c. 7. p. 20 b; II, c. 9. p. 156 b; III, c. 1. p. 310 b; §. 4. p. 36; Varenius. I, p. 586; Egard. p. 130. — 13) Osiander. p. 168. 191. 195. — 14) Osiander. p. 173—182. — 15) II, c. 4. p. 139 b. — 16) Osiander. p. 210; cf. III, c. 15. p. 337 a; Varenius. I, p. 624—684.

quae sine mediis fiat, docuerit; auctorem nostrum contendit sensu bene Schwenkfeldiano et Weigeliano dicere de interno et externo verbo. Imprimis Arndtium impugnat, quod dixerit, sacram scripturam esse mortuam litteram; ad quas quidem res probandas multos locos allegat [17]). Sed ut clare perspiciamus, quid Arndtius de hac re senserit [18]), breviter singulos locos legamus. Arndtius: „regeneratio fit spiritualiter ex Christo per verbum „Dei, quod est velut semen novae creaturae" (I, c. 3. p. 9b); „non cogni-„tionem vel auditionem, sed exsecutionem verbi divini verum Christianum „demonstrare . . . . . Hoc (Dei verbum) non eum in finem, ut sciatur „tantum et audiatur, litteris est consignatum, sed ut praxi ipsa exprimatur" (II, c. 5. p. 143b). Praeterea saepius Arndtius dicit, Dei verbo cor humanum a mendaciis satanae purgari, Dei verbum esse semen vivum et efficax, immo vigorem ipsum Dei [19]). Hi loci ex innumeris [20]) sufficiant. Nihilo secius Osiander (p. 50.) singulos locos laudat, in quibus libenter concedimus sacram scripturam nominari verbum externum; quod jure Arndtius dicit, si ad solam litteram respicimus. At luce clarius est, auctorem nostrum, quum dicat „secundum litteram [21])," postulare, ut verbum divinum in nobis bonos fructus contritionis proferat; atque Osiander ad ea respicere debebat, quae Arndtius in repetitione apologetica accuratius de hac re exposuit. Semel, non negamus, Arndtius sacram scripturam nominavit „semen mortuum" (I, c. 6. p. 16 b.); nihilo secius etiam appellavit „semen vivum et efficax." Praeterea Arndtius haec verba, quae duriora videbantur, correxit in repetitione apologetica (VI, p. 498 a.), alia omnino omisit; quamquam summo jure dici potest, Dei verbum in cordibus, mundi libidinibus deditis, esse mortuum semen [22]). Immerito Arndtii sententias ab Osiandro cum Schwenkfeldii doctrina haeretica comparari, Varenius (I, p. 199.) accuratius exposuit. Hic illuminationem sine mediis intellexit; Arndtius profitetur spiritum sanctum corda hominum Dei verbum considerantium illuminare (III, c. 1. p. 310 a.). Quamquam Arndtius saepius de interno verbo aut luce verba facit, tamen minime Schwenkfeldii et Weigelii sententias sequitur, qui internum verbum ab externo vehementer secernunt. Schwenkfeldius sacrae scripturae omnem vim abjudicat: diversissime Arndtius, qui internum verbum nihil aliud appellat, nisi verbum Dei in intimum pectus susceptum. Schwenkfeldius opi-

---

17) Osiander. p. 43—82; Egard. p. 36—56; Varenius. I, p. 99—204. — 18) cf. §. 4. p. 35. — 19) Lehr- u. Trostb. c. 4. V. p. 439 b. — 20) I, c. 5. p. 14 b. 15 b; I, c 6. p. 16 b; I, c. 37. p. 102 b; I, c. 38. p. 106 b; II, c. 5. p. 143 b; II, c. 9. p. 156 b; c. 17. p. 176 a; c. 29. p. 206 b; c. 36. p. 232 b; c. 44. p. 259 a; c. 48. p. 268 a; c. 51. p. 281 b; III, c. 3. p. 317; Lehr- u. Trostb. c. 4. V. p. 439 b; de unione c. 3. V. p. 466 a; repet. apolog. VI. p. 495 a. 498 a. 506 a. 507 b. 510 b. — 21) I, c. 6. p. 17 a. — 22) Varenius. I, p. 162. Osiander. p. 54.

natus est, externum verbum Dei auribus tantum et oculis percipi, neque in corda hominum intrare[23]; Arndtius, nos externo verbo in intimo pectore illuminari. Nusquam Arndtius docet, quod Osiander (p. 67.) contendit, mortuum Dei verbum per nos tantum vivum reddi; multo potius dicit, verbum fide et spiritu in nobis vivum reddi (I, c. 3. p. 9b.).

His criminationibus Osiander (p. 74.) alias annectit; Arndtium docere ex sancta scriptura nos in gravibus impugnationibus solatium percipere non posse; quamquam Osiander addidit: „Welches eine erschreckliche Lästerung „ist wider die heilige Schrift und ihren Eingeber den heiligen Geist,“ non prohibemur, quominus Arndtio assentiamur[24]. Praeterea dicit Arndtium homines adhortatum esse, ut verbi ministerium contemnerent[25]. Utramque criminationem Osiander saepius repetiit[26]. Non minus temere Osiander (p. 232.) dicit, Arndtium docuisse duplicem coenam sanctam, internam et externam. Sed locis, quos laudat, edocemur, externo tantum usu eucharistiae, nisi internus accedat, omnino nihil nos adjuvari (III, c. 1. p. 311 b.). Praeterea Arndtius non raro imagine utitur, quum dicit de manna coelesti, qua anima nostra alatur, de coelesti eucharistia, qua fides nostra firmetur. Clarum est, Arndtium de evangelio, de verbo divino loqui.

Osiandri criminationes tamquam flocci humi concidunt[27]! —

B.) Ex altera parte Osiander doctrinas quasdam Arndtii falsas et haereticas improbavit, quae ad justificationem hominis spectant.

Maxima quidem diligentia, maxima tamen iniquitate et temeritate Osiander capite septimo libelli sui lectori decem articulos doctrinae affert[28], in quibus Arndtius falsa docuerit. Veteres criminationes de interno et externo verbo atque luce non desiderari, vix mirabimur. Breviter quaestionem tractemus!

Primo dicamus de criminationibus propter doctrinam allatis de natura, viribus, indole, origine animorum humanorum. Scriptor noster dicit, animum ex Deo nasci; qua in re voce „scaturiendi“ nonnumquam usus est; quam formulam adversarius valde impugnat Arndtiumque Manichaeorum errores renovasse probare studet[29]; veluti ex loco[30]: „melius numquam „cum anima agitur, quam si in domo sua, hoc est in Deo conquiescat: ex „hoc enim cum emanaverit, in eundem etiam redeat, si veram quietem in„dipisci velit.“ Arndtius non dicit, animam humanam cum Deo ex una

---

23) Varen. I, p. 186. — 24) Osiander laudat II, c. 52. p. 283a; cf. II, c. 51. p. 278b; cf. §. 8. p. 66. — 25) cf. III, c. 15. p. 337b. — 26) Osiand. p. 62. 222. cf. §. 8. p. 64; Osiander. p. 53. 75. 225. 373. cf. §. 8. p. 66. — 27) cf. I, c. 36. p. 102b; Varenius. II. p. 78—96; Egard. p. 145. — 28) Osiander. p. 257—364; cf. Egard. p. 149—184; Varenius. II, p. 201—355. — 29) Osiand. p. 341; cf. Egard. p. 176; Varen. II, p. 308. — 30) I, c. 23. p. 63a; cf. II, c. 28. p. 204a.

essentia consistere vel partem esse essentiae divinae, sed a Deo esse creatam, Dei imaginem et ejus esse speculum. Quos sermones Arndtius fundit de anima hominis ante lapsum. Clarissima hac de re verba facit I, c. 41, ubi praeclare et eloquenter de anima humana dicit.

Ita etiam alia Osiandri criminatio refutatur, Arndtium duas diversas luces in homine docuisse, naturale et spirituale gratiae lumen, quorum utrumque animae humanae a Deo insitum esset. Contra Arndtius expressis verbis affert, in homine post lapsum ne scintillam quidem spiritualis luminis inesse [31]). Osiander fulcit sententiam suam nonnullis locis libri tertii; locum describamus, ut fundamentum argumentorum Osiandri appareat ejusque sagacitas in eliciendis sex haereticis opinionibus patefiat; Arndtium enim dicit more synergistarum, enthusiastarum, Pelagianorum, Weigelianorum, scholasticorum, Jesuitarum verba fecisse [32]). Arndtius: „Omnia itaque linquat „homo, quae non sunt ipse Deus, velut se ipsum et ceteras creaturas uni-„versas . . . Tali animae nil quam solus Deus curae est cordique, a quo „illuminatur in veritate. Si mundanis nonnumquam interesse jubetur, in „humili timore mundana tractat, et fundum animae suae a creaturis ac „mundo vacuum servare studet. Et tunc Deus intus animam illuminat. „Omnia enim intus ex Deo scaturiunt [33])." Osiander argumentatur Arndtium, si dicat hominem ad hanc illuminationem se parare debere, more synergistarum docere; sine Dei verbo: hoc enthusiastae docent; quam quidem formulam apud Arndtium omnino non legimus. Deinde Osiander pergit, eum, qui doceat, in nobismet ipsis inesse vires ad hanc illuminationem in nos suscipiendam, esse Pelagianum, Weigelianum, scholasticum, Jesuitam. Verba: „Omnia enim intus ex Deo scaturiunt" Osiander explicat hac ratione: „Diess ist nun so hell, klar und deutsch Schwenkfeldisch, dass es „heller und klärer nicht sein könnte." Quid, inquam, Osiandro objiciamus? Nihil amplius, quam quod jam antea diximus, nos nullo loco legere, Arndtium docere, hominem a Deo sine mediis, verbo divino non mediante, illuminari.

Falsa docuisse Arndtius dicitur de fide beatos nos reddente [34]). Recte judicat Osiander, Arndtium, si de doctrina fidei falsa docuerit, etiam doctrinam de justificatione hominis coram Deo pervertere debuisse. Arndtium accusat sensu papistico dixisse, nos Christum in fide sequi debere [35]). Arndtius affert, Christum habuisse fidem validissimam, quoniam, quamquam a Deo desertus esse videretur, tamen Deum nominaverit suum Deum. Hanc

---

31) Ita I, c. 41. p. 119b. 123b. — 32) Osiander. p. 354; Varen. II, p. 342; Egard. p. 182. — 33) III, c. 11. p. 331a. — 34) Osiander. p. 290; Egard. p. 157; Varen. II, p. 252. — 35) II, c. 47. p. 267b.

sententiam Osiander ita interpretatur, ut dicat, Arndtium saepius postulare, ut nos Christo similes fiamus, ut eum pro exemplo vitae nostrae habeamus; ergo nos eandem plane fidem nobis comparare debere, quam Christus habuerit. Jam vero mediatorem Christo opus non fuisse, quia ipse hic mediator fuerit, sed fiduciam in solo Deo collocasse; ergo nostram quoque fidem non ad Christum ejusque merita sese inclinaturam esse, sed ad solum Deum; hoc prae omnibus postulari. Itaque sequi, Arndtium papistarum doctrinae esse deditum, qui cognitionem ac scientiam omnipotentiae providentiaeque Dei maximi aestiment! Libere profitemur, nos magnis in angustiis versari, quid ridiculis his Osiandri oratiunculis respondeamus! cf. I, c. 5. p. 14 b.

Ex vera fide nos beatos reddente proficiscitur justificatio hominis. Quam ut accipiamus, peccata nostra expiare debemus et mentem ad meliora consilia revocare. Etiam de poenitentia Arndtius noster falsa docuisse dicitur [36]. Osiander, qui (p. 257 — 270.) multis verbis exponit, veram poenitentiam ex duabus partibus consistere, ex cognitione peccatorum contritioneque et ex vera fide, quam renovatio hominis ad novam vitam, Deo gratam, agendam sequatur, contendit Arndtium non raro ordinem neglexisse et pervertisse, immo eum renovationem hominis, novam obedientiam pro parte poenitentiae habuisse; multos laudat locos. In plerisque tamen Arndtius recte dicit de poenitentia, immo vero saepius eundem, quem Osiander desiderat, ordinem describit [37]. Locis ab Osiandro descriptis [38] nullo modo comprobatur, quod probare vult adversarius. Omnino Arndtius non in omnibus locis, ubi voce poenitentiae usus est, accurate exponere voluisse videtur, quae esset vera poenitentia, sed postulasse, ut Christianus novam vitam agere inciperet. Nonnumquam vox poenitentiae apud Arndtium latiore sensu usurpatur, qui contritionem et regenerationem notione verae poenitentiae complectitur. Praeterea ex nexu sententiarum intelligemus, quae auctor revera dicere voluerit. Quod Arndtius ipse in loco I, c. 39. p. 111 a verba Tauleri explicat, satis probat, eum omni modo id studuisse, ut verba et sententias ab errore caveret; quam quidem explicationem Osiander (p. 275.) nuncupat: „einen Kleister, der die Sache nicht „verstreicht."

Alia Osiandri criminatio tam levis et insulsa est, ut vix verbo commemorari mereatur [39]. Putat Arndtium docere [40], remissionem peccatorum

---

36) Os. p. 257 — 282; Egard. p. 149; Myster. iniq. p. 217; Varen. II, p. 201 — 246. — 37) I, c. 4. p. 12 a. 13 b; c. 8. p. 21 b; cf. imprimis II, c. 8. p. 151 b; III, c. 2. p. 312 b. — 38) Inter alios locos I, c. 4. p. 12 b; c. 8. p. 21 b; c. 21. p. 58 a; II, c. 6. p. 147 b; cf. praeterea I, c. 34. p. 92 b; I, c. 39. p. 111 a. — 39) Osiander. p. 295; Egardus. p. 159; Varenius. II, p. 260—267. — 40) II, c. 8. p. 154 b.

atque purgationem lacrymis poenitentiae effici, quod sanctae scripturae prorsus contradicat; quum haec expressis verbis profiteatur, nos sanguine Jesu Christi a peccatis purgari et a poena liberari. Sed Osiander hunc locum legisse non videtur: „Et sane si homo tantum lacrymarum effunderet, quan„tum aquae in mari continetur, non minimae tamen coelestis consolationis pretium exsolveret[41])."

Ex ea re, quod Arndtius tantopere vitam Christianam praedicabat commendabatque, fidemque mortuam hominem nihil adjuvare docebat, qui sola fide in caritate efficaci ad salutem perduci posset, jam primo tempore, in quo Arndtius pastoris munere functus est, controversias enatas esse vidimus. Nonnulli opinati sunt, hoc modo doctrinam evangelicam, ex qua justificatio hominis ex sola fide enascitur, laedi atque negligi et Arndtium ita ad papismum se inclinare. Quamquam in multis locis[42]) librorum de v. Chr. de justificatione recte et expressis verbis docetur[43]), Osiander tamen putavit, etiam hanc Arndtii sententiam se improbare debere, quum si Arndtius falsa de poenitentia docuisset, etiam de justificatione doctrinam perversurus fuisset. At etiam Osiander bene intellexit, se adeo non facile ejusmodi vitium in libris Arndtianis deprehensurum esse, ut unum tantum locum inveniret, in quo doctrina illa papistica contineretur, hominem suis meritis gloriari et praemia a Deo expetere posse[44]). Osiandri vituperationi plane assentiremur, si Arndtius dixisset, nos perfectum amorem, de quo disputatur, nobis acquirere posse et ita beatitatem a Deo postulare. Sed Arndtius noluit nisi caritatem efferre, eamque, quod ex antecedentibus videmus, in alios homines[45]).

Sufficere videtur, Osiandri verba animo perpendere, ut cognoscamus, quam debilibus argumentis nitatur. Homo etsi ad Deum se convertit et fidem efficacem vivamque sibi acquisivit, ex qua bona opera enascuntur, tamen non raro infirmitati voluntatis succumbit et in statum perversum delabitur; omnibus viribus eo tendere debet, ut ad Christum sese acclinare possit, qui eum adjuvabit, ut tandem ad finem perveniat, ad unionem cum Deo. Uno loco apud Arndtium legitur, omnia bona opera ex caritate divina proficisci[46]); his verbis inesse criminatur Osiander doctrinam papisti-

---

41) I, c. 19. p. 51 a. 52 a; cf. c. 4. p. 12 a; cf. praeterea §. 4. p. 32. not. 47. — 42) §. 4. p. 33. not. 49; cf. I, c. 5. p. 14 b; c. 30. p. 82 a; c. 34. p. 91 b; II, c. 3. p. 135 a; III, c. 3. p. 315 b; repet. apolog. VI, p. 496 b. — 43) Easdem sententias, quas etiam apud Arndtium disjectas legimus, ex artis legibus compositas invenies: Die luther. Rechtfertigungslehre in Harless Zeitschr. für Protest. u. Kirche. Bd. XXII. Hft. 3. 1851. Sept. p. 167—188. — 44) I, c. 26. p. 71 b. — 45) Osiander. p. 282; Egardus. p. 155; Var. II, p. 246. — 46) IV, pars II, c. 32. p. 424 b; I, c. 3. p. 9 a; c. 5. p. 14 b; c. 9. p. 24 b; c. 31. p. 85 b; cf. Osiander. p. 296; Egard. p. 160; Varen. II, p. 268.

cam, quum Arndtius non dixerit, bona opera ex vera fide profisci debere! Sed vides, quam ridicule Osiander Arndtii verba detorserit. Ergo, quum Arndtius de fide non sit locutus, contendit, bona opera non ex fide procreari [47])!!

Osiander Arndtio crimini vertit, eum aliam unionem hominis cum Deo docere atque sacram scripturam, quae reconciliationem tantum hominis scelesti cum creatore intellexerit; quod injuste facit, quoniam expressis verbis in sacris bibliis unio hominis cum Deo docetur, quae a reconciliatione valde differt, quum hanc sequatur. Arndtium in hac doctrina ab erroribus Schwenkfeldii et enthusiastarum liberum esse jam vidimus; quamobrem Osiander immerito Arndtianam sententiam monachorum denominat et enthusiastarum raptus exstaticos. Ex multis locis, quos laudare Osiandrum non piget [48]), id tantum elucet, Arndtium revera hac sententia valde delectatum esse. At censemus, Osiandrum jure in Arndtio vituperasse, quod in praedicanda unione ex finibus sermonis gravis paene egressus sit. Sed injuriam Arndtio infert, quum locum laudat, qui jam in eis posterioribus editionibus, quae ex anno 1620 in lucem prodierunt, ut Varenius nos certiores facit [49]), plane correctus erat: „pura anima et divina Deum et illius regnum in se „ipsa contemplabitur, pariter aeternum eum in natura ipsius visura, immo „Deum in se ipsa propter unionem, quam cum eo habet, possessura“ [50]); verba „et omnem suam beatitudinem in se ipsa habitura“ oculi nostri frustra quaerunt.

Nos vix uni Osiandri criminationi assentiri possumus, quamquam summo studio id egit, ut lectorem in suam sententiam traheret. Nam in libello Osiandri, germanicis litteris impresso, singulos locos, quos memorabiles putabat, formis majoribus excudendos curavit, immo nonnulla verba latinis litteris expressa sunt; neque, ut lectoris oculos ad verba verteret, signum „NB“ omisit. Modum ac rationem, qua Osiander Arndtium aggressus est, nullo modo probare possumus.

Restat, ut unam sententiam, quae tamen ad universam doctrinam parvam tantum auctoritatem habet, consideremus. Antea commemoremus, adversarios Arndtianorum librorum non solum scriptori opiniones exprobrasse, quae jure ex ejus libris probari non possunt, sed etiam tanto ardore abreptos esse, ut ex singulis dicendi formulis, in quibus auctor noster imagine usus est, sententias opinionesque ei tribuerent, quae vix melioribus

---

47) Hac in doctrina Arndtium recte docuisse, postea omnes viri docti testantur; ita Joh. Val. Andreaeus in Theophilo dial. II p. 78. — 48) Osiander. p. 330—340; Egard. p. 168; Varen. II, p. 300. — 49) Varen. II, p. 306; Osiander. p. 336. — 50) III, c. 4. p. 319 b.

fundamentis nituntur. Criminationem illam Corvini [51]) vanam esse, primo aspectu videmus [52]). Fusiorem enim sententiam neque de angelis, neque de satana Arndtius in libris suis exposuit. Simpliciter angelos credidisse videtur tueri homines [53]). Haec sufficiant ad hanc criminationem refutandam, quum tanto defendendi ardore, quanto scriptor mysterii iniquitatis pseudo-evangelicae [54]), non incendamur.

Clara voce Osiander castigat Arndtii allegoricam interpretationem bibliorum, neque desiderantur in hac criminatione nomina illa somniorum fanaticorum, enthusiasticorum, Pelagianorum [55a]). Merito quidem Osiander vituperat, Arndtium saepius dicere, omnia in sacris bibliis in nobis ipsis spiritualiter repeti debere [55b]); immerito tamen credere videtur Arndtium censuisse non omnia, quae in bibliis sacris narrantur, revera ita esse facta. Arndtius multo potius dicebat, omnia eo tantum consilio evenisse, ut denuo in nobis fierent, ut nobis tamquam exemplar ponerentur. Sed nullo modo Arndtius Schwenkfeldianorum errores secutus est, quum dicit, omnia in nobis iterari debere in fide et spiritu [56]). Hic Arndtium, quamvis aliis in locis de fide docuerit recte, fanaticorum opinioni assensum esse Osiander contendit. At Arndtius nusquam dicit, scripturam sanctam ex nostra fide explicandam esse, quod more haereticorum dixisset: sed contendit, biblia sacra in fide Christi esse explicanda. Ceterum Varenius in defendendo Arndtio extra fines justos egressus esse videtur [57]), quum contra Osiandrum [58]) dicit, Arndtium non postulasse, ut omnia allegorice interpretaremur; vel expressis verbis Arndtius dixit, omnia in nobis spiritualiter fieri debere [59]).

Praeter alia Osiander improbavit allegoricam interpretandi rationem historiae de Caïno et Abele. Quam quidem narrationem scriptor noster ita explicat, ut luctam carnis et spiritus in homine designari contendat. Osiander, qui hanc historiam tamquam imaginem accuratius depingere studet, demonstrat, Abele a fratre occiso etiam novum hominem sub peccati potestatem redigi. Sed nunc Osiander justum modum transgreditur, quum postulat, ut omnia, etiam minimae res, in imaginem quadrare debeant.

V. Ad quintam et proximam criminationum partem adeuntes considerare debemus dubitationes, quae in singulas locutiones, falsas et haereticas, prolatae sunt.

---

51) §. 5. p. 42. — 52) Jam Hieron. Bahrius in Arndtio Antipietista hanc criminationem refutavit; cf. Unschuld. Nachr. Lpz. 1712. p. 300. — 53) Paradg. p. 605b; 667b; 690a. — 54) Mysterium iniq. p. 103. — 55a) Osiander. p. 83—104. — 55b) §. 4. p. 35. — 56) Myster. p. 159—195; Egard. p. 56—71; Varen. I, p. 232—398. — 57) Var. I, p. 290. — 58) Osiander. p. 85. 90. — 59) I, c. 6. p. 16a. 17b.

Singulas locutiones in sensum falsum perverti posse, jam Arndtius ipse in epistola ad Piscatorem data concessit: „sententias libelli mei, quae ἀκυ-„ϱολογίᾳ laborant, ex animi mei sensibus explico, nequaquam sperans, ex „sola phrasi contra mentem totius libri posse exstrui; et ad emendationem „inconsiderate dictorum in futura editione me offero [1])"; exeunte eadem epistola legitur: „Quum in meditatione meorum libellorum incautius quas-„dam sententias et admonitiones protulerim, nescio quid mali impingantur." His verbis Arndtius nos etiam docet, quomodo tales locutiones explicandae sint, nimirum ex toto nexu sententiarum. Etsi Arndtius postea singulas phrases correxit, tamen multas in libris illis improbandas esse viri docti putabant. Theologi Wittenbergenses [2]) et Varenius ipse concedunt, singulas formulas esse obscuras et falsas [3]); quod quidem judicium etiam multi, qui postea de libris Arndtianis disputarunt, statuerunt [4]). Maxima diligentia, quod libere profitemur, Osiander etiam hanc quaestionem tractavit; qui in libello suo contra Arndtium edito singulas sententias, quae falsae et haereticae viderentur, octavo capite amplexus est. Viginti tres locos ex tribus prioribus libris Osiander corripuit [5]), quorum nonnullos allaturi sumus; ceterum hae criminationes prospere ab Varenio et Egardo refutatae sunt [6]).

Osiander nominat errorem Flacianum, quod Arndtius, ubi de improba hominis natura locutus sit, dixerit: „haec omnia tu ipse facis, et ipse es"; sed his ipsis verbis praecedunt alia: „omnes nos veterem hominem circum-„ferimus, sumusque adeo ipse vetus homo, cujus natura ac indoles est nil „nisi peccare, se ipsum amare, sua commoda, suos honores consectari [7])." Videmus Arndtium non explicasse, quid esset natura veteris hominis, sed allaturum fuisse, in quo vetus homo cerneretur, quid vetus homo ageret. Eodem modo Osiander Arndtii sententiam Flacianam nominat, quae his verbis continetur: „Quid autem sit vetus homo, modo diximus, superbia puta, „avaritia, libido, injustitia, ira, inimicitia, odium et invidia"; at Arndtius pergit: „quae omnia in vero christiano mori debent [8])." Etiam aliam phrasin legamus, cujus generis Osiander ex primo libro novem desumpsit. Errorem monachorum et arrogantiam esse Osiander dicit, haec verba fundere: „In hoc ergo consistit praestantia, praerogativa et dignitas christianorum, „naturam sibi subjicere, domare carnem et sanguinem"; at Osiander omittit

---

1) 14. Jan. 1607. apud Gleich. p. 2. — 2) 6. März 1621. cf. apol. Arndt. apud Ramb. III, p. 1042a. — 3) Varenius. I, p. 40. — 4) Wernsdorfius libros de v. Chr. simpliciter non laudat, „nam multas habet phrases incommodas, imprudentes, sus-„pectas, vel saltem in alienum sensum facile detorquendas, quod nemo adhuc, ne inter „summos quidem ejus patronos, ausus est diffiteri." cf. Rambach. III, p. 1064b. — 5) Osiander. p. 364—394. — 6) Varen. II, p. 356—430; Egard. p. 184—220. — 7) I, c. 14. p. 39a. — 8) I, c. 15. p. 39b.

alteram ejusdem phrasis partem, qua prior satis explicari videtur: „et mun„dum cum malo, quod est in ipso, bono ac virtutis praxi vincere [9]).“ Ex locis sex, quos Osiander in secundo libro castigando affert, unum saltem consideremus; Arndtius in praefatione dicit: „Itaque a Christi humanitate „inchoandum et per ejus abjectam humilitatem jugi conatu ad divinitatem „ipsam ascendendum est. Transeamus per Christi humilitatem ceu scalam „quandam coelestem in ipsius Dei patris cor [10]).“ His verbis auctorem doctrinae papisticae favere opinatur Osiander [11]), quum Christus ipse sit vera coeli scala (!), non quum Christus virtutibus suis alios ad imitandum impulerit, sed quum ipse ad patrem adierit, nobisque viam patefecerit. At eandem sententiam etiam Arndtius saepius in libris suis professus est [12]), Christum esse viam nostram ad salutem. In libro tertio Osiander octo locos vituperat, in quibus Arndtius humilitatem hominis nimis praedicaverit. Quod auctor noster alio loco dixerit, non esse meliorem et faciliorem viam ad salutem, nisi humilitatem hominis [13]), Osiander concludit, Christum negligi contemnique; sed Arndtius paullo ante dixerat, praeter fidem veram et efficacem non esse meliorem viam, nisi humilitatem. Alio loco legitur, nos satanam devicturos esse humilitate [14]). Propter haec verba adversarius Arndtii magno ardore incenditur, quum maxime urget, in sacris bibliis doceri, satanam fide devinci et fidem universum mundum perdomasse [15]). Sed haec jam sufficient, ut cognoscas, quibus malis argumentis etiam hae Osiandri criminationes nitantur.

Inter eos, qui postea de scriptis Arndtianis judicium professi sunt, Wernsdorfius singulas expressiones Arndtii falsas et obscuras rejecit. Sunt tres loci, quos ex libro secundo descripsit. Wernsdorfius: „aspersit, inquit, „aliqua, quae vix, ac ne vix quidem, excusari possunt [16]).“ In verbis his: „O miseros homines, qui beatitudinem suam apud mortales homines quae„runt . . . nil nisi externa spectantes . . . . externa tantum media sunt, „quae, etsi nequaquam sint contemnenda, non tamen sunt thesaurus [17])“ (qui in ipsis est), Rostio assensus est; „quae verba tanta nigredine obvoluta „esse, statuit Rostius, ut nullo excusationis colore dealbari possint.“ Nos autem neque in Rostii neque in Wernsdorfii sententiam ire possumus; ceterum Arndtius, quamvis in his verbis parum auctoritatis tribuisse videatur sacris bibliis et sacramentis, vel pergit, Deum etiam sine his mediis operari posse, si haec non adsint. Praeterea reputandum erit, qualis fu-

---

9) I, c. 26. p. 73b. — 10) II, praef. p. 127a. — 11) Osiander. p. 376. — 12) I, c. 14. p. 37a; II, c. 12. p. 166a. — 13) III, c. 5. p. 320a. — 14) III, c. 20. p. 345a. — 15) Osiand. p. 384; 1. Petr. 5, 9; 1. Joh. 5. 4; Egard. p. 216; Var. II, p. 416. — 16) p. 46. — 17) II, c. 34. p. 227a; verba ex cap. XI libelli Weigelii descripta.

erit universae illius aetatis status, quum Arndtius haec verba locutus sit; neque dicemus in eis inesse opinionem haereticam et falsam. Videmus Arndtium, quum rem aliquam magnopere efferre vellet, saepius in hac re praedicanda ac describenda nimis progressum esse [18]).

Idem judicium statuendum est de altero loco: „Nec absolvi ab errore „possunt," dicit Wernsdorfius: „Deus pro incomprehensibili sua omnipotentia „aliud medium redemptionis potuisset constituere . . . . Verum enim vero „in hoc summus amoris gradus non comparuisset [19])." In hac falsa sententia consideranda ad multos alios locos respicere debemus, in quibus Arndtius expresse dicit, Christum pro nobis pati prorsus necesse fuisse [20]). Neque ullo modo Arndtius huic sententiae multum auctoritatis tribuit, quum ea modo usus fuisse videatur, ut, quae sequerentur, vi quadam efferret. In peculiari disputatione postea concepta haec sententia pro falsa quidem et imperfecta, attamen pro excusabili habita est [21]).

Quod attinet ad tertium locum, quem Wernsdorfius improbavit [22]), invenies verba Arndtii II, c. 20. p. 185 a, in quibus de gradibus precationis disseritur. Quid de judicio ejus habendum sit, ex eis elucet, quae in componenda theologia Arndtiana de hac re attulimus [23]).

---

18) cf. §. 4. p. 29. — 19) II, c. 26. p. 199 b. — 20) §. 4. p. 32. not. 44. — 21) Hessische Hebopfer Tom. I. 1736. Stück X. p. 1065. Similiter Buddeus censuit, hanc sententiam non tam defendendam, quam excusandam esse; ib. p. 1076. — 22) §. 7. p. 58. not. 23. — 23) §. 4. p. 34 sq.

CAPUT QUARTUM.

QUID MOMENTI HABUERIT THEOLOGIA ARNDTIANA AD PIETATEM ET ECCLESIAM, EXPONITUR.

Conaturi accuratius exquirere, qualem vim sententiae Arndtianae ad pietatem et ecclesiam exercuerint, de ea ratione imprimis disseramus necesse est, ex qua de re nobis proposita judicium statuamus. Quod jam antea exposuimus hic iterum afferamus liceat, nos, si ad rem Arndtianam spectamus, quaestionem universam intelligere non posse, nisi non solum respiciamus, quomodo tota ecclesia Lutherana adulta sit, verum etiam potissime statum illius aetatis animo perpendamus, in qua theologiae Arndtii occurrimus, atque habitum moresque eorum consideremus, quos ecclesia Lutherana tum amplexa est.

Rem propositam ex triplici parte considerare possumus, ita ut primo probemus, Arndtianam theologiam revera maximum momentum ad pietatem et ecclesiam habuisse, ut deinde explicemus, quomodo fieri potuerit, ut sententiae Arndtianae tantam auctoritatem sibi comparaverint, ut tertio loco demonstremus, quale fuerit hoc momentum. De natura hujus auctoritatis disserturi quaeremus, qualem vim libri Arndtiani exercuerint et ad singula ecclesiae membra et ad universam ecclesiam. Sed quia jam paragrapho prima accuratius descripsimus statum illius aetatis, modo paucis verbis afferemus, quomodo sententiae Arndtii tantam auctoritatem sibi parare potuerint; qua de caussa solummodo ex duplici parte quaestionem nostram tractaturi sumus.

§. 9. Arndtianam theologiam maximi momenti fuisse ad pietatem et ecclesiam, argumentis docetur.

Merito fortasse quispiam dixerit, nos de re proposita accuratius disserere necesse non esse, quia res tam clarae testes sint [1]). Et revera omnes

---

[1]) Rambach. III, p. 1053a; cf. p. 88.

scriptores recentioris aetatis libenter agnoverunt, scripta Arndtiana ad ecclesiam illius aetatis maximi momenti fuisse [2]; cui quidem judicio nos summo jure addere possumus, libros illos etiam nostris temporibus eadem frui auctoritate; quod jam eo probatur, quod quotannis novae editiones in lucem proferuntur. Attamen breviter rem nostram attingamus et ut de ipsa auctoritate edoceamur, et ut clare theologiae illius aetatis imaginem perspiciamus.

Non solum externa argumenta de magna librorum Arndtianorum auctoritate proponere possumus, sed etiam ex libris ipsis certiores fieri possumus. Externa argumenta ex judiciis virorum doctorum hausturi sumus et ex multis editionibus librorum. De libris ipsis non dubitamus dicere, necesse fuisse eos magnam auctoritatem sibi comparasse et propter materiam et propter formam. Testimonia pro illis libris non in una tantum aetate, fortasse dum Arndtius vixit, sed in ecclesia Lutherana, immo christiana, numquam defecerunt, qui liberum judicium de libris Arndtianis professi sint [3].

Inter illos homines, qui Arndtio vivo libenter ejus libros tractarunt, primum jure Joh. Gerhardum nominabimus. Ex epistola ejus ad Arndtium data videmus, quanta suavitate doctissimus ille vir libellum primum legendo oblectatus sit: „Non solus ego exspecto, sed mecum alii docti et boni, „quorum catalogum bene longum tibi enumerare possem [4].“ Quam quidem sententiam Gerhardus etiam postea saepius professus est [5], etiam post tres reliquos libellos editos [6]. Illustribus Arndtii amicis non minus adscribendus est Rupertus Meldenius, qui Arndtium appellat „sanctum virum et de „ecclesia Dei praeclarissime meritum, immo angelum Dei missum ad prae-„dicandam poenitentiam [7].“ Meldenius in theologo quodam pio, qui in somno ei apparuit, Joh. Arndtium vidisse sibi visus est, quem cum tentanti satana rixosae orthodoxiae pugnantem Christus ipse juvit [8].

Ut magnum numerum librorum amicorum transeamus, neve nominemus

---

2) Niedner, Gesch. d. christ. Kirche. §. 254. p. 759; Guericke, Kirch. Gesch. III, p. 481; Hagenbach, Vorles. III, p. 382. — 3) Multa judicia describere neque volumus neque possumus; sed ut in finibus quaestionis nostrae contineamur, solummodo graviora afferemus. cf. Fr. Arndt. p. 225—240. — 4) Rehtmeyer. IV, p. 326; etiam Ramb. III, p. 1026. — 5) Gerhardus in locis theologicis (I, p. 348) Arndtium appellat „virum doctissimum,“ „amicum nostrum singularem“; II, p. 415 Arndtius nominatur „amicus noster parentis loco habendus“; III, p. 450 Gerhardus libros „lectu dig-„nissimos commendat“; cf. Fr. Arndt. p. 228; cf. §. 2. p. 8. not. 4; cf. praeterea Cottae praef. in Gerhardi loc. theol. Tübing. 1762. tom. I, p. 14. — 6) §. 7. p. 57; cf. §. 3. p. 21. — 7) Rup. Meldenius in paraen. vot. p. 249; cf. Lücke, über das Alter p. 141. — 8) Lücke additam. ad p. 24. cf. p. 88.

Oxenstiernam ejusque mulierem [9]), neve Ulricam Eleonoram, reginam Sueciae [10]): ex plurimis epistolis, quibus viri docti auctori maximas gratias agebant [11]), nonnulla verba considerabimus, quae genus momenti librorum Arndtianorum ad pietatem et ecclesiam accuratius designant; ad quas epistolas jam Arndtius ipse, ut se defenderet, provocavit [12]).

Juxta pium Dilgerum non est indignus qui nominetur Affelmannus, theologus Rostockiensis, qui justum et aequum statuit judicium [13]). Voluptate quadam afficimur legentes ne homines quidem nobiles et principes puduisse ex libris Arndtii solatium ac pietatis adjumentum percipere; ita Rudolphus, dux Liegnitzensis, auctori scripsit, libellos istos esse summum suum thesaurum et solatium praeter verbum divinum [14]). Jam antea Cnopius ad Arndtium haec verba dedit: „Hoc fateri debeo, plurimos in hac ecclesia „(Revalensi) me moderante ad lectionem tuorum librorum cum pietatis non „exiguo foenore accessisse. Quare et mihi pro indicio et tibi vero pro „institutione gratias agunt multo maximas [15]).“ Neque minus Joh. Val. Andreaeus Arndtium dilexit, quum eum nominaret incomparabilem praeconem veri christianismi [16]); ad pium gratumque animum probandum auctori dedicavit librum suum „rei publicae christianopolitanae descriptio [17]).“ Immo potius Andreaeus vituperationem et criminationes in se contraxit, quum Arndtii libellos tanti aestimaret [18]).

At non solum Arndtio vivo multa testimonia de ea re invenimus, verum etiam postea plurimi homines docti illustresque libenti animo professi sunt, se scripta Arndtii maximi aestimare. Veluti Polycarpus Leyserus dixit, librum esse bonum, dummodo lector esset bonus [19]). Henricus Muellerus, qui adversarios Arndtii rejicere pollebat [20]), ad alium theologum anno 1665 scripsit, Arndtium certe remansurum Arndtium [21]). Pulchra sunt Salomonis Glassii verba: „Wem Arndts Christenthum nicht schmecket, der hat „gewiss den geistlichen Appetit verloren [22]).“

His testimoniis satis demonstratur, quanta fuerit auctoritas librorum Arndtianorum jam ea aetate, quae ex natura sua a talibus libris valde abhorrebat; neque necesse erit affirmare, hanc vim permagnam fuisse eis temporibus, ubi plurimi homines pii doctique maximo studio eo tetenderunt,

---

9) Cnopius ad Arndt. Ramb. III, p. 1030. — 10) §. 5. p. 48. — 11) Apol. Arndt. apud Ramb. III, p. 1021. — 12) Arndt. ad Buscherum. 19. Febr. 1619. in apol. Arndt. apud Rambach. III, p. 1032 b; Arndt. ad Frantzium ibid. p. 612 b. — 13) §. 5. p. 45. — 14) 1. März 1620; apol. Arndt. apud. Rambach. III, p. 1029 b. — 15) Ibid. p. 1030 b. — 16) Hossbach, Andreä. p. 131. — 17) Ibid. p. 158; cf. Fr. Arndt. p. 150. — 18) Hossbach, Andreä. p. 208; cf. imprimis p. 222. — 19) Rambachii praef. in tom. III, p. 12. — 20) cf. §. 5. p. 33. — 21) Rambachii praef. in tom. III, p. 9. — 22) Ramb. praef. in tom. I, p. 16.

ut principus, qualia Arndtius fovebat, auctoritatem compararent, nimirum temporibus controversiarum pietistarum. Testem facimus Spenerum, cujus judicium non est unius viri sed multorum, qui ejus vestigia subsecuti sunt. Praeter locos, quos jam antea commemoravimus [23]), permultos alios in scriptis ejus legimus, in quibus Arndtianis libris maximam aestimationem tribuit. Neque contendere dubitat, se Arndtii libros juxta Lutheri scripta maximo amore amplecti: „Wer in unsers theuern Lutheri Schriften fleissig „erfahren ist, wird an Arndtio keinen Ekel haben können [24])"; alio loco: „Ich setze Lutherum billig vorne an, nachdem Gott durch ihn ein noch „grösseres Werk, so mehr in die Augen gefallen, ausgerichtet hat, als durch „Arndtium, lasse ihm auch darin seinen Vorzug; aber dieser streicht ihm „nahe, und weiss ich nicht, ob er nicht noch in seinen Schriften zu einem „nicht geringerem Werk als Lutherus mag bestimmt sein [25])"; porro: „in „eo (Arndtio) praedicando totus sum [26])." Arndtii postillam a Spenero denuo editam esse, eumque de sententiis biblicis, quas Arndtius singulis capitibus trium priorum librorum proposuit, in ecclesia praedicasse, constat [27]).

Libros Arndtianos etiam saeculo XVIII. permultum auctoritatis exercuisse, ex magno studio concludimus, quo denuo controversiae tractatae sint; neque minus notum est, libros vel nostris temporibus a permultis hominibus in quotidiana meditatione pietatis augendae caussa instituta legi [28]). Ipsa denique controversiarum magnitudo testimonium est auctoritatis librorum Arndtianorum. Osiander librum Arndtii nominat [29]): „ein Gift," „ein Buch aus der Höllen," alii „aureum libellum [30])" vocant. Corvinus Arndtio ejusque scriptis maledixit [31]), Spenerus eum praedicat „beatum nostrum Arndtium [32])." Joh. Albr. Bengelium, Speneri discipulum, libros Arndtianos praesertim juvenem saepe ac libenter tractasse constat [33]). Praeterea Bengelius singulari opinioni de Arndtio erat deditus, quem habuit pro eo angelo, qui per medium coelum volaret (Apocalyps. 14, 6.), et aeternum evangelium praedicaret [34]).

Haec testimonia nemo opinor pro nihilo habens novas de magna libro-

---

23) §. 7. p. 55. not. 1. — 24) Spener, Theol. Bed. III, p. 622. — 25) Spener, Theol. Bed. III, p. 714; cf. Spener, letzte Bed. I, p. 351; III, p. 96. — 26) Speneri cons. theol. lat. I, p. 277a. — 27) Hossbach, Spener. II, p. 5; Rambachii praef. in tom. I, p. 17; cf. Unsch. Nachr. 1706. p. 104. — 28) Hagenbach. III, p. 382; cf. Planck. p. 84. not. 98, ubi legimus, Arndtii libros magis profuisse, quam omnes formulas concordiae; cf. praeterea Delitzsch, vier Bücher von der Kirche. p. 87. — 29) Osiander, Bedenk. praef. ad lectorem. — 30) Ramb. praef. tom. I, p. 17. — 31) §. 5. p. 42. — 32) §. 7. p. 55. not. 1. — 33) Burk, Bengel's Leben u. Wirken; 2. Aufl. Stuttg. 1832. p. 15. — 34) Pahl in Ersch u. Gruber, Allg. Enzykl. Thl. V. p. 376; cf. Fr. Arndt. p. 240.

rum Arndtianorum auctoritate statuet dubitationes, praesertim quum permultorum etiam aliorum testimoniis uti possimus. Quid? quod vel tot haeretici et fanatici in libros Arndtii provocaverunt!

Breviter jam commemoremus, quam longe lateque libri Arndtiani divulgati sint, ex quo clarissime elucebit, eos magnum momentum ad pietatem lectorum augendam habuisse nostrisque temporibus habere. Statim post primum librum editum in Helvetia, ubi ambo Becmanni in libros illos invecti sunt, librum novâ formâ in vulgus prodisse, jam antea attulimus. Sed non solum in Germania terrisque affinibus invenimus libros Arndtianos, immo inter omnes populos excultos scripta Arndtii leguntur. Oculos convertas in Hispaniam, ubi ab antiquis temporibus religio catholica plurimos amicos diligentissimosque sectatores sibi comparavit, Arndtii libros invenies. Vir doctus, antea professor Hallensis, quum in Hispaniam venisset et Madriti in bibliothecam collegii imperialis Jesuitarum perduceretur, ex monacho quodam quaesivit, quem librum asceticum Jesuitae pro optimo haberent. Libellus latinus, qui titulo ac fine carebat, ei propositus est; erat Arndtii christianismus [35]).

Supervacaneum est enumerare, in quot linguas libri conversi sint. Quot linguae, toties fere Arndtii libri de vero Christianismo conversi sunt. In sermonem Suecicum libri traditi sunt anno 1674, Holmiae editi; Danica versio apparuit anno 1703. Versionem Francogallicam eodem tempore Noaillio cardinali proponendam curavit Haferungius; quam editionem ille adeo non improbavit, ut concederet, eam in Francogallia divulgari [36]). Jam anno 1642 librorum Belgica versio concepta est; atque 1646 primus liber in sermonem Anglicum traditus est [37]). Lipsiae anno 1704 nova latina versio edita est cum prolegomenis Pritii, in quibus (p. 40.) hic quaerit, quid multis opus sit verbis, ubi fructus tam lucide perspiciantur; hoc libro revera innumerabiles ad cognitionem salutis adductos esse [38]). Quae verba Boemus anno 1708 imprimis de Anglia fundit, eodem jure de universa Europa dicere possumus: „de Christianismo liber ubique magni fit, nec „parvos tulit in bonis cordibus fructus, uti et cetera hujus auctoris scripta, „ob modum valde perspicuum, quo solidam pietatem et vitam vere Christianam proponit, numquam scripturae sacrae terminis et auctoritate „neglectis [39]).“ Non immerito Weismannus dixit: „non est opus, ut probemus, ipsum Deum stupendo et singulari exemplo labores Arndtianos

---

35) Walch. V. p. 1158; Rambachii praef. in tom. I, p. 16. — 36) Walch. V, p. 1130. — 37) Edit. Boemi. I, praef. §. 32. p. 27; §. 34. p. 29. — 38) Rambach. tom. III, p. 1053a; intra priores sexaginta annos octo diversae versiones latinae editae sunt; cf. Horn, l. l. I, p. 148. — 39) Edit. Boemi. I, praef. §. 18. p. 16.

„benedictione sua uberrima cumulasse et approbasse . . . quae per egregium „hoc instrumentum suum tam largiter se diffudit atque dispersavit in hunc „usque diem [40]).“ At forte dicas, monachos illos Hispanienses, si titulum libri cognovissent, cautius de eo judicaturos fuisse. Sed libros vides Romae, in ipso capite ecclesiae catholicae; etiam hic libros de v. Chr. invenis; qua in re valde eo delectamur, quod nomen auctoris hoc modo expressum erat: „Joh. Arndt Weyland,“ quoniam in titulo aliarum editionum legitur: Joh. Arndt Weyland Generalsuperintendent [41]). Russica editio anno 1735 in lucem prodiit; in Tamulicum sermonem liber primus anno 1751 translatus est [42]). Etiam nostris temporibus multae novae versiones concipiuntur imprimis a missis ad doctrinam christianam propagandam. Singulas versiones hic afferre non possumus; quamquam enim editionem quandam in bibliotheca nostra invenimus, ne nomen quidem linguae afferre possumus, nedum litteras percognitas habeamus! Libros Arndtianos in nostra lingua nostris diebus persaepe edi satis est cognitum. Vel in America novae editiones divulgantur.

Jam Arndtio vivo, ergo usque ad annum 1621, libri identidem editi sunt: Lunaeburgi, Magdeburgi, in Helvetia, Jenae, Mompelgardi, Francofurti [43]), Goslariae [44]). Quis editiones enumeret, quae insequentibus annis in lucem prodierint [45])! Ineunte nostro saeculo libri Arndtii haud ita saepe typis expressi sunt; sed ex postremis viginti annis non minus quam undetriginta editiones et librorum Arndtii de v. Chr. et libelli precationum editae sunt. Libri editi sunt Halae 1830; Berolini 1831, 1837, 1842; Francofurti 1832, 1840, 1844; Reutlingiae 1833, 1837, 1840, 1847; Budyschini 1841 (libellus precationum); Lipsiae apud Reclam. 1842, 1850; Turici ter stereotypis litteris (editio novissima 1848); Lipsiae apud Rubach. quinquies stereotypis (ed. novissima 1849); Hamburgi 1849; Scaphusiae quater (editio novissima 1850); Philadelphiae 1851 et 1852, usque ad hunc diem liber primus et secundus.

Quanto amore quantaque auctoritate libri Arndtiani fructi sint, etiam eo probatur, quod multae fabulae narrantur, secundum quas singuli libelli, imprimis liber precationum, mirifice servati esse traduntur. Duodecies enim libri ab igne aut ab aqua servati sunt [46]). Veluti libri de Christianismo

---

[40]) Weismann, introd. in memorab. eccles. . . . II, Halle 1745. 4. p. 980. — [41]) Rambachii praef. in tom. I, p. 19. — [42]) Utramque versionem nostra bibliotheca possidet. — [43]) cf. Arndtii praef. in lib. I; Arndt. ad amicum quendam apud Ramb. III, p. 614 a. — [44]) Varenius. I, praef. ad lectorem. — [45]) Editionibus sexaginta et uni, quas Fr. Arndtius (p. 243) fere ad annum 1780. enumeravit, casu nonnullas alias addere possumus: Lunaeburgi 1695; Smalcaldici 1736; Halae 1743 (lib. 5. et 6.). — [46]) Rambach. tom. III, p. 374.

in incendio Sverinensi anno 1697. Praeterea centurio, qui in oppugnatione Philippsburgi anno 1734 Arndtii libellos in manibus tenebat, ex summo periculo mirifice ereptus est[47]). Jam anno 1624 divulgata est fabula, libellum precationum „Paradiesgärtlein" ex magno incendio Langengonsensi mirabili modo conservatum esse, quae narratio tam certis testibus firmabatur, ut Varenius eam referre omittere nollet[48]).

Magnam librorum auctoritatem ex illius temporis conditione facile explicari jam significavimus. Arndtius in omnibus suis libris pietatem vivam et efficacem postulabat, quae revera in illa aetate vehementer desiderabatur; quoniam non deerant ipsi pastores, qui sufficere profitebantur ore et verbis Christum sequi. Quam quidem sententiam Arndtius summo studio impugnabat; et haud ita multo post magnam sibi auctoritatem comparabat sociosque sibi conciliabat, qui quum occasio has sententias divulgandi oblata esset, magno cum amore Arndtium secuti sunt. Ita libri Arndtiani, simplici genere dicendi biblico concepti[49]) propterque hanc ipsam rem lectores suavitate quadam delenientes, oppositi sunt scholae theologiae, non raro in minutas controversias rixasque delabenti. Verbis et sententiis gravibus legentem admonebant libri, ne ea, quae ad proficiendum in vita externa vere christiana utilia essent, negligeret.

Videmus igitur, nos his caussis internis, quas ex libris ipsis deduximus, non minus, quam externis, quae quidem magis ob oculos positae sunt, cogi, ut concedamus, sententias et principia Arndtiana in illa aetate maximum momentum ad hominum pietatem et ecclesiam sibi acquisivisse, immo sibi acquirere debuisse.

§. 10. Quale librorum Arndtianorum fuerit momentum, demonstratur.

Reliquum est, ut paucis describamus, quale librorum Arndtianorum fuerit momentum ad pietatem et ecclesiam; qua in re exponenda nonnulla jam sunt perspicua ex eis, quae usque huc exposuimus.

Ex statu ecclesiae protestantium illius aetatis intelleximus, quomodo fieri potuerit, ut libri magnam auctoritatem sibi comparare potuerint ac debuerint, ita ut cari acceptique fuerint populo, nec solum minus eruditis hominibus, verum etiam doctis nobilibusque. Quam necessarii libri illi aetati fuerint, intellexerimus ex magno numero librorum similium, qui ex hoc tempore concepti sunt. Arndtium habemus fere pro primo ex eis, qui ex simili-

---

47) Rambach. praef. t. III, p. 26. — 48) Varen. II, praef.; cf. Hessische Hebopfer. tom. III, Stück 22. p. 164. — 49) Hessische Hebopfer. p. 171; cf. Rambach. praef. tom. I, p. 15.

bus principiis sententiisque studebant, ut religio christiana consisteret non in una cognitione, sed ut fructiferam sese praeberet. Gerhardus edidit scholam pietatis; brevi tempore post Nic. Hunnius librum [1]) concepit, cui nomen indidit: Anweisung zum Christenthum. Quos libros mox permagnus numerus aliorum secutus est. Libelli et tractatus Henrici Muelleri, Christiani Scriveri, Luetkemanni, aliorum, sunt thesaurus, ut ita dicam, ecclesiae Lutheranae [2]). Ut hanc rem perspicuam omittamus, sententiae Arndtianae remotae a luce vitae publicae bonos fructus protulerunt, quos ex parva et exigua librorum origine vix exspectaveris. Hominibus doctis et laïcis, quamquam gloriabantur, se veram verae fidei cognitionem habere, libri fuerunt norma, qua fides spectaretur. Scripta Arndtii legentes multi agnoscere debebant, se nondum veram fidem, veram theologiam habere, quum libri simplici sermone lectorem saepe docerent, in qua parte fides esset debilis et perversa, quae esset vera religio christiana. — Multi errores suos intellexerunt libereque professi sunt; ita Cnopius ad Arndtium scripsit: .... „religionisque summa fuit, ex religione rixas et contentiones tenere. Ex „quo pernicioso sane et pestilenti errore me tuis scriptis eripuisti docendo „potius pietatem in vitae puritate quam scientiae profunditate contineri, „eumque vere christianum theologum esse, qui inculpata vita potius, quam „scientia suis praeluceret [3]).“ Praeterea legimus apud Rup. Meldenium [4]): „multas pene dixerim myriadas hominum ex hujus viri sacris meditationi„bus lectis, ruminatis, animo impressis, in christianismo vero, in pietate, „in caritate, poenitentia, sanctitate praeclare et egregie profecisse, nec so„lum intus sensisse motus spiritus sancti, sed et fidem suam foris demon„strasse . . .“ Ipse Andreaeus, homo non minus sagacis ingenii, quam summae pietatis, libere professus est, se Arndtianis libris legendis a sterili fide ad veram praxin et fidem efficacem esse perductum [5]); immo potius ipse ex libellis de v. Chr. „medullam“ extraxit [6]), quam postea principi juveni transmisit, „ut cum dogmatum christianorum lac jam avide imbibisset, pragmatico etiam vitae Christianae solidiori cibo paullatim assuefaceret, et in recto virtutis itinere adjuvaretur [7a]).“

Ejusmodi librorum Arndtianorum fructus non solum temporibus auctoris, sed etiam multo post invenimus, uti Spenerus de hac re saepius verba facit; immo posterioribus temporibus auctoritas sensim aucta est. Scias, Paulum Gerhardtum suavia quaedam carmina contexuisse, quum vestigia

---

[1]) Rambach. praef. tom. I, p. 17. — [2]) Guericke, Kirchengesch. III, p. 483. — [3]) Apol. Arndt. apud Ramb. tom. III, p. 1030 b. — [4]) Paraen. votiv. p. 255. Lücke. p. 144. — [5]) Hossbach, Andreä. p. 131. — [6]) Andreae. ad Arndt. cf. Rambach. III, p. 1032 b. — [7a]) Andreae. Selen. Augustal. inc. 1643. ep. 57. p. 64.

sex precationum ex Arndtii libello „Paradiesgärtlein“ haustarum sequeretur [7b]). Apud Spenerum legimus: „nuper adhuc ad me vir quidam doc-„tissimus sed aeque pientissimus, illo (Arndtio) demum magistro se eo pro-„fecisse, ut agnosceret, quae vera esset theologia [8]).“ Praeterea Spenerus affirmat, hominem, doctrina Arndtiana bene instructum certiorem firmioremque esse contra omnes errores, quam qui studia polemica, quamvis per longum tempus magno cum labore, tractaverit [9]).

At libri Arndtii non solum eo permultum valebant, ut lectori sanam cognitionem offerrent de virtutibus et natura boni confessoris christianae fidei, sed etiam consilium assecuti sunt, quod talibus libris ad pietatem excitandam firmandamque conceptis propositum est. Multi, qui antea, fortasse inviti sibi solummodo videbantur esse boni christiani, in bona fide ac religione firmabantur; multis adhortationes et solatium offerebatur, qui certe frustra ad religionem, quam ore profitebantur, provocaturi fuissent. Idem solatium libri dabant eis, qui corporis morbis deprimebantur, atque eis, qui aliis malis obnoxii erant.

Narrant, Pfeiferum, professorem theologiae Lipsiensem, dixisse, se ad Deum conversum esse et vere christianum esse factum, quum incepisset Arndtii libros de v. Chr. legere. Usque ad mortem libros maximi aestimasse vir doctus dicitur. In testamento imperavit, ut sibi mortuo libros darent, quos quum ex morte suscitaretur, ad Dei thronum afferret libereque profiteretur, se Arndtii tantum libris legendis ad Deum se convertisse et a spiritu sancto illuminatum esse [10]).

Legas verba Speneri: „Superiori anno ad aegrotum prius mihi non cognitum vocatus solatio et gaudio plenior ab eo discessi, quam forte ex me ipse hausit, cum insignem illam divinam cognitionem, quam ex libro hoc amato (Arndtii) conceperat, ex sermone ejus deprehendissem [11]).“

Unum referre omittere non possumus, quo nobis probetur, in quanto amore et deliciis libri Arndtiani hominibus piis fuerint. Incolae Salisburgenses quum ex patria sua pellerentur, summo cum periculo libertatis et vitae inter libros pios, quos absconditos secum portabant, etiam Arndtii libellos de v. Chr. sibi conservaverunt [12]).

7b) cf. Paulus Gerhardts geistliche Lieder. Stuttgart 1849. 2. Aufl. p. 205 sqq. — 8) Speneri cons. th. lat. III, p. 132 a. — 9) „Ego jurare ausim, qui Arndtii doctrina „vere imbutus fuerit, ejusque praxi incubuerit, longe constantiorem in veritatis profes-„sione futurum et adversus omnes errores invictum, quam sint omnes polemicis studiis „per vicennium et amplius exercitati.“ Ib. III, p. 133 b. — 10) Fr. Arndt, p. 246. (auctore Trinio, Geschichte berühmter Gottesgelehrten. III, Stück 2. p. 216—218, quem librum in bibliotheca nostra frustra quaesivi.) — 11) Speneri cons. theol. lat. I, p. 277 a. — 12) Schellhorn, Histor. Nachricht vom Ursprung .... der evangel.

Spenerus, cujus in scriptis multa ad rem propositam spectantia legimus: „Arndtii, inquit, christianismum commendo: uti semel aliquis gustum „dulcedinis in tali lectione latentis perceperit, ultro sibi deinde ergodioctes „in praxi christiana futurus est [13]).“ Immo nonnulli praeceptores academici libros Arndtianos discipulis etiam atque etiam commendarunt, veluti Quenstedtius, Breithauptius [14]). Similiter jam Spenerus cupiverat, ut studiosi theologiae diligenter Arndtii libellos tractarent [15]). Simplici genere dicendi librorum Beierus non est impeditus, quominus auditoribus sententias auctoris explicaret [16]).

Praeterea libros Arndtianos etiam inter confessores doctrinae Calvinianae non minus divulgatos fuisse et lectos, quam inter Lutheranos, commemorare vix opus est, quamquam altera ecclesia alteri et tum et in posterum vehementer erat opposita [17]); minime enim eos hanc ob caussam esse conceptos, ut homines ab altera doctrina ad alteram traducerentur, in aprico erat. Quamobrem etiam Calvinorum testimonia de Arndtianis libris laudanda habemus, ex quibus unum afferamus liceat: „Quod vero Arndtium „ac Muellerum nostratibus (Calvinianis) annumeraverim, ne velim male in„terpreteris. Ejusmodi enim viri spiritu pollentes in magno sunt honore, „non modo apud me, sed et multos alios pastores pie doctos, ac illis e „nostratium numero merito anteferendi, qui ventri serviunt, et cum pura „doctrina ac confessione terrenos agunt empaectas, et secretos antichristos. „Cum e contrario illorum virorum cor et conversatio sit in coelis, et in „amore Christi occupetur, qui omnem exsuperat agnitionem [18]).“

Haec sunt testimonia, quibus contradici nequit. At aliquis concedat, libros Arndtii inter protestantium doctrinae amicos multum valuisse ac valere, contra in ecclesia catholica parvi esse aestimatos. Sed ipsi Christiani catholici concedere debebant auctoritatem et momentum librorum illorum permagnum esse. Neque enim solum in ecclesia catholica libri longe lateque divulgati erant et pernoti, sed etiam ipsi sacerdotes illustrissimi eos fovebant. Rem afferamus, quae dignissima nobis esse videtur commemoratu. Anno 1734 Arndtii libri de v. Chr. in monasterio catholico Campo-

---

Rel. in d. Salzburger Landen. Lpz. 1732. p. 403. — 13) Speneri cons. th. lat. I, p. 342. — 14) Rambach. praef. tom. I, p. 17. — 15) „Wollte Gott, es wäre des „geistreichen Arndten wahres Christenthum (welches Vielen, bei denen die erudition fast „allein vor das Vornehmste will gehalten werden, ein Ekel ist, weil es nicht mit vieler „ansehnlicher menschlicher Wissenschaft gezieret ist) in aller studiosorum fleissigem Ge„brauch.“ Spener, letzte Bed. I, p. 351. — 16) „Amatorem singularem habet (Arndtius) „D. Beierum, qui jam ab aliquot annis christianismum ipsius studiosae juventuti „explicat, quod in alia academia factum non memini.“ Speneri cons. th. lat. III, p. 656b. — 17) Planck. p. 26. 45 sq. — 18) Edit. Londin. Boemus I, praef. §. 26. p. 23.

dunensi editi sunt (non a medico principis, ut Fr. Arndtius putat; medicus enim exemplar tantum possidebat, quo tota res pernota facta est); quae editio nulla alia fuit, nisi quae anno 1727 Lipsiae in lucem prodierat; id solum mutatum erat, ut Campoduni nova folia, inscriptionem libri continentia, typis expressa essent. Haec nova folia, in quibus nomen auctoris legebatur mutatum: „Joh. Randtius" veteribus tituli foliis agglutinata sunt. Nomen Lutheri, quia apud catholicos maximo est odio, exstinctum est; sed nonnusquam litterae „ther" aut „uther" integrae remanserunt. Tota res temeritate quadam editoris prodita est, quum in tertio libello de sancta trinitate titulus originalis integer legeretur; neque minus exeunte praefatione Arndtii in librum quartum verba ejus de confessione Augustana legebantur; nonnumquam vel totum nomen Lutheri inveniebatur [19]). Sacerdos quidam ecclesiae romano-catholicae libere professus est, nostra ecclesia si multos haberet Arndtios, res nostras melius sese habituras esse, res suas male [20]). Similia refert verba Boemus: „de magno quodam ecclesiae romanae praesule nar- „rant, dixisse, mirari se, haereticum tam egregia posse concinnare scripta [21])." Opificem vitrarium qui inquieto animo Romam profectus est, ut ad doctrinam catholicam sese converteret, praelatus illustris hortatus esse dicitur, ut in patriam reverteretur atque sacra biblia et Arndtii Christianismum cum industria precationeque tractaret; qua re cum Dei gratia animi quietem esse nacturum [22]).

Immo potius nonnulli confessores doctrinae romanae, libros Arndtianos quum legissent, ad nostram ecclesiam conversi sunt [23]). Quod non mirabimur; nam dicendi genus, quod apud Arndtium invenimus, simillimum erat ei, quo jam alii catholicae ecclesiae socii diu ante usi erant; qui et ipsi eodem consilio ducebantur, ut vita vere christiana ageretur. Res pro certissima habenda est; quoniam Spenerus saepius de ea loquitur [24]).

Omnibus in temporibus, omnibus in vitae conditionibus homo simplex et sincerus Arndtii libris de v. Chr. usus est et utitur, ut solatium et ad-

---

19) Fr. Arndt. p. 241: cf. Hess. Hebopfer tom. IV, Stück 35. p. 387—393. — 20) Walch. V, p. 1159; cf. Weismann. introd. II, p. 984. — 21) Edit. Lond. Boem. I, praef. §. 26. p. 24. — 22) Kapfius in prolegomenis in novam editionem Arndtii orationum cf. Hengstenberg, Evangel. Kirchenzeitung. 1851. Decemb. p. 986. — 23) Speneri consil. th. lat. III, p. 376 b. — 24) „Ante biennium ad me perscriptum est Colonia, duos „fratres pontificios lectione Christianismi illius ad veritatem nostram conversos fuisse: „quod eo majoris facio, quia praevidere poterant persecutiones, quas adversus se, mariti „jam enim erant, excitarent, et quas deinceps etiam magno rei familiaris damno experti „constanter pertulerunt . . . . Nunc tuum etiam exemplum (Spenerus ad amicum scrip- „sit) me confirmat, quando memoras eo demum auctore te ad veram et genuinam theo- „logiam a reliquae eruditionis saepe in argumento facto profanae laboribus adductum „esse." Speneri cons. theol. lat. I, p. 277; cf. Spener, theol. Bedenken, tom. III, p. 439.

hortationes ex eis percipiat. Etiam apud nos libri vigent ac florent et a multis leguntur, qui vix credant, libris his nonnumquam summo cum studio omnem vigorem ad pium sensum colendum abjudicatum esse. In ipsa crassissimi rationalismi, quem vocant, aetate libri apud homines vere pios inveniebantur; quamquam non novis illis ac pulchris editionibus, quae in temporibus exeuntis saeculi XVIII. raro nobis occurrunt, tamen exemplaribus veteribus homines usi sunt, pallidis illis ac detersis. His temporibus, annis 1777 et 1780, Feddersenius Arndtii libros de v. Chr. in tres libros recussos edidit.

Posteaquam exposuimus, quale fuerit momentum Arndtianorum librorum ad lectores et Lutheranae, et Calvinianae, et catholicae confessionis, jam breviter adumbraturi sumus, quid auctoritatis libri ad theologiam Lutheranam nacti sint; ita ut demonstremus, quem locumArndtii libelli teneant in evolvenda Lutheranae ecclesiae theologia.

Jam, priusquam Lutherus aperte audacterque deformitates sinceri evangelii in ecclesia catholica adortus est, multi viri ruinam ecclesiae cognoverunt et gravissimis verbis malum aetatis suae castigaverunt. Ex ipso mystico fundamento, in quo Lutherus nisus est[25]), jam antea viri prodierunt, qui, verae et intimae pietati dediti, ecclesiam depravatam adjuvare conati sunt. Dico Bernhardum, Taulerum[26a]), scriptorem theologiae Teutonicae[26b]), Thomam a Kempis, alios. In his viris inest, ut ita dicam, elementum quoddam reformationis[27]). Imprimis Taulerum nos comparare posse cum Arndtio putamus, quoniam utrique, a luce publicae vitae remoto, eaedem erant sententiae idemque consilium. Uterque fide christiana mentes hominum quasi imbui voluit, neque minus uterque mores dissolutos aetatis atque depravatos voluit emendare. Taulerus eadem ratione reformationem praecedit, qua Arndtius sequitur. Lutherus primus fictas doctrinas ecclesiae romanae aspernatus magna voce extulit, hominem justificari sola fide in Jesum Christum. In hac doctrina, cum qua aliae de redemptione, de peccato, arctissime cohaerent, consistit summum universae reformationis caput nervusque omnis doctrinae Lutheranae. Quemadmodum Lutherus puro ac sincero evangelio ductus ad hanc doctrinam pervenit, etiam atque etiam ad unum ac solum verbum divinum provocavit in eoque est nisus. Biblia sacra sunt solus fons nostrae fidei.

Jam antea attulimus accuratiusque descripsimus, simplicem doctrinae

---

25) cf. §. 4. p. 23. — 26a) Rudelbach, christl. Biographie. Tauler. 1849. p. 237. — 26b) Ullmann. in Th. Stud. u. Krit. 1852. H. 4. p. 859 sqq. — 27) Rudelbach. in Rudelb. u. Guer. Zeitschrift. 1849. Hft. 3. p. 399; cf. de tota re Ullmann, Reff. v. d. Ref. II, p. 222; imprimis p. 278.

Lutheranae sensum posteriore tempore rixis controversiisque permultis expressionibus scholasticis paene oppressum, certe obumbratum [28]) esse. Hanc doctrinae vitaeque simplicitatem biblicam recuperare et excolere ex intimo pectore petierunt pii animi confessorum Lutheranorum ineunte saeculo XVII. Etsi alteri maxime delectabantur [29]) rebus divinis stupide perscrutandis, alteri, meliorem partem sortiti, salutem sperabant ex doctrina, quae ad vitam honestam spectat. Qua de caussa acriter doctrinam ecclesiae scholastico more tractare impugnabant. Quorum virorum primus est Arndtius noster. Arndtius voluit, ut ita dicam, reformationis reformationem. Ei non sufficiebat, ut homines fidem christianam profiterentur, sed postulabat, ut fides et cerneretur; qua re sese opposuit plurimis theologis, qui non erant nisi verborum captatores. Hac ipsa re, quae aetati Arndtianae maxime erat necessaria, Arndtii theologia designatur. Arndtius praecedit viros [30]), qui in ecclesia tota dispersi id efficere studebant, quod totum expetere et assequi demum Spenero successit. Quod Arndtius tantos fructus non protulit, quantos Spenerus assecutus est, non est Arndtii, sed ex toto aetatis illius statu explicandum est. Arndtii doctrina erat sincera; ad nostram enim doctrinam Lutheranam arcte se applicavit; ex eodem puro verbo divino alebatur. Quia argutis distinctisque sententiis proferendis non delectabatur, omnibus viribus postulabat, ut vitam agerent homines, aptam ad purum verbum Dei. Num Spenerus aliud quid exoptavit? Idem ad simplicem doctrinam Lutheranam recessit, minime secutus mortuam orthodoxiam suae aetatis [31a]). Quoniam uterque idem sibi proposuerat consilium [31b]), Spenerus tanto amore libros Arndtianos complexus est, ac revera diligentissimus amicus et defensor librorum nostrorum fuit inter omnes, qui eos a dubitationibus et incriminationibus adversariorum tuiti sunt. Profecto minime casu est factum, ut Spenerus pia sua desideria Arndtianae praefigeret postillae [32]).

Summo igitur jure libri Arndtiani omnibus temporibus fuerunt thesaurus noster; maximo sunt gaudio confessoribus ecclesiae nostrae Lutheranae, vel protestantium ecclesiae universae. —

---

28) Rambach. praef. in tom. III, p. 10. — 29) Delitzsch, der naturphilos. Mysticism. in Rudelbach u. Guericke Ztschr. 1841, Hft. 3. p. 38; Hagenbach. III, p. 312. — 30) Guericke. III, p. 480. — 31a) Hagenbach. IV, p. 189. 195. 199. — 31b) M. Göbel, Gesch. des christl. Lebens. II, 2. 1852. p. 465; cf. Ullmann. in Th. Stud. u. Krit. 1852. Hft. 3. p. 585. — 32) cf. supra §. 2. p. 13.

Gottingae typis expressit officina academica Huthiana.